sidionem nunc urgere acriter, nunc sapienter trahere; hostium sagaciter odorari mentem, fallere consilia, discutere artes, vitare insidias; eorum vires nunc palàm et aperto marte frangere, nunc solertiâ eludere, nunc morâ ipsâ et cunctatione consumere. Uno verbo, singula artis militaris præcepta, singulis Ludovici victoriis quasi consignata, traduntur nobilibus gloriæ candidatis.

Faxit belli pacisque summus arbiter Deus, ut vicinæ gentes expertæ quid possint arma Ludovici, et in resarciendis belli damnis etiamnùm occupatæ, nunquàm pacis leges violare audeant! At si quo fortè casu bellum ingruat, quiesce Gallia, tremite hostes: mari, terrâ, classibus, exercitibus, omni copiarum genere sic abundamus, ut timere neminem, omnibus terrori esse debeamus.

Audiistis hactenùs quantus in pace apud hostes sit Ludovicus: idem quantus sit apud suos, dùm alterâ orationis parte demonstro, eâdem me, precor, attentione recreetis.

Ea est regum conditio, ut, Deum inter et homines positi, alternas habeant parendi et imperandi vices; ac quemadmodùm supra cæterorum capita mortalium longè sublimes eminent, ita suis ipsi cervicibus imminentem Deum agnoscere ac vereri debeant. Ex illo duplici fonte profluunt omnia regum officia, omnisque eorum felicitas. Debent obsequium supremo regum dominatori Deo, coram quo omnis eorum majestas pulvis ac cinis est: debent præsidium suis populis, in quos ideò tantùm obtinent imperium, iis ut prodesse possint.

His fundamentis tota Ludovici gloria nititur. Cùm in omni vitâ, tùm præsertim pacatis hisce

temporibus, quibus respirare tandem potuit ex diuturnâ bellorum agitatione, intra suam Galliam curas omnes suas cogitationesque definiens, totus in hoc incubuit, ut et cultum Dei promoveret in dies magis ac magis, et populorum felicitati consuleret.

Cogitanti mihi sæpiùs quæ sit religionis excellentia, quæ dignitas, mirum videri solet eam, quamvis divinum quiddam æternumque sit, iisdem tamen, quibus humanæ res ac caducæ, vicibus esse obnoxiam, variisque temporibus ac locis multa sæpè pati vel detrimenta, vel intervalla suæ auctoritatis. Habet illa suas quasi ætates suosque progressus. Tenuis primùm et infirma nascitur; crescit deindè paulatim, adolescit, viget, roboratur : postremò quasi consenescens, et magnitudine quodammodò laborans suâ, ita solet interdùm subitò decrescere, fluere, labi, ut mox funditùs occasura esse videatur. Nunquàm tamen illam Deus extingui patitur atque opprimi. Excitat principes atque reges, qui eam à cæteris ejectam apud se excipiant, infirmam tueantur, labantem sustineant, penè occidentem et ruinæ proximam ab interitu vindicent.

Talem Ludovicum his nostris temporibus destinavit æternæ mentis providentia [1], non quidem qui jacentem et afflictam religionem in Galliâ excitaret (annis [2] enim ferè mille et ducentis, nunquàm interruptâ serie, nobis quasi per manus tradita à majoribus, in solio regum nostrorum sedet, atque inter corruentium undique imperiorum fragorem ac ruinam ipsa illæsa atque integra dominatur); sed

[1] *Clodoveus I.* — [2] *An. Christ.* 482.

qui aliquâ suî parte turpiter deformatam antiquæ et nativæ pulchritudini restitueret.

Deus immortalis! qui status erat Galliæ! Non loquor hîc de funestis illis temporibus, cùm violatæ leges, spreta regum majestas, eversa Dei templa, obrutæ aræ, effusus civium et fratrum cruor. Taceri decet ista dedecora, non contumeliosâ commemoratione renovari. Atque utinam, ut ex animis nostris, ita ex annalium monumentis illorum temporum memoria penitùs eradi posset! Saltem, quoniam ejuratis suis erroribus, cum Deo, cum rege, cum suis fratribus, hoc est nobiscum, in gratiam redière; tegenda sunt ista omnia, obruenda sunt, obterenda sunt silentio atque oblivione sempiternâ.

Loquor igitur tantùm de illâ dissimilitudine et discordiâ religionis. Versabantur nobiscum intra ejusdem regni limites, in iisdem urbibus, sub iisdem tectis, homines non fortassè à nobis studio et voluntate alieni, sed (quod gravius) opinionibus et religione abhorrentes. Habebant suos sibi doctores, sua templa, suas cærimonias: quasi verò posset Christus dividi! Sequebantur miseri pro veritate mendacium, pro corpore umbram, pro luce tenebras. Esto, non essent per se ipsi et ex naturâ suâ turbulenti et seditiosi: esto, fide et obsequio in regem nobiscum certarent: at insidebant altè in eorum mentibus, etiamsi ipsi non intelligerent, æterna discordiarum semina. Quidquid enim fremant hæreseos propugnatores ac vindices, hujus ingenium est (loquor de hæresi ipsâ, fratribus nostris parco), hujus ingenium est, homines in Deum, cives in regem armare: pascitur illa cruore ac cædibus, rebellione gaudet, impietate delectatur. Talibus præceptis instituti, ab ipsâ infantiâ pravis im-

buti opinionibus, prætereà delusi miserabiliter malignis artibus suorum doctorum, hoc est latentium sub pastoris habitu luporum, quid mirum si tantâ pertinaciâ suos errores tuerentur?

Huic malo remedium attulit Ludovicus. Cæco impetu ruentes in certam perniciem salutari dextrâ sustinuit. Aberrantes à recto itinere in relictam patrum viam compulit. Aversantibus lucem et in suas tenebras magis ac magis immergentibus, tam propè veritatis faces admovit, ut invitis ac repugnantibus oculis lucem veritatis haurire cogerentur.

Et hoc est omnium operum, quæ in vitâ unquàm confeceris, Ludovice, maximum. Prælia, victoriæ, triumphi, cætera principum decora perstringunt quidem oculos suo fulgore; at eadem sæpè, jactata manibus et excussa, reperiuntur veræ solidæque gloriæ inanissima, præsertim si non opinionis humanæ, sed christianæ veritatis trutinâ expenduntur. At ista laus, quam in extinguendâ hæresi modo consecutus es, maximè solida constansque est, siquidem religione ipsâ, quâ nihil solidius constantiusque, nititur.

Non sola hæresis religionis dignitatem labefactat; vitia quoque hominum christianorum ejus sanctitati maculam labemque maximam inurunt. Iis igitur bellum indixit Ludovicus. Atque ab aulâ suâ duxit initium. Nemini ignotum quid sit aula. In eâ vitium tanquam in nativâ sede ac regno liberè dominatur, et per ora hominum insolenter erectâ cervice fertur: at virtus, ceu peregrina quædam et hospes, vix audet frontem suam exerere.

Hanc verùm faciem immutavit Ludovicus. Virtutem extorrem olim et exulem secum in solio collocavit, secum in purpurâ sedere jussit. Eam sibi

comitem et administram adjunxit; eam omnium factorum, consiliorum, susceptorum judicem et arbitram, totiusque vitæ ducem assumpsit. Vitium autem non quidem prorsùs expulit ab aulâ (quis enim id possit assequi?), at saltem coegit abdere se in tenebras, suamque deformitatem involucris quibusdam et quasi velis tegere.

Nostis, auditores, quàm frequenter nomen Dei, sanctum illud et terribile, in ore impiorum convicia evomentium, et quàm impunè versaretur. Immò ab hominibus etiam non improbis usurpabatur continuò, consuetudine miserâ quâdam, velut ornamentum aliquod condimentumque sermonis. Ad coercendam hanc licentiam, divi Ludovici hæres successorque dignissimus omnem legum, edictorum, pœnarum severitatem adhibuit.

Domum verò Dei, quâ nihil apud nos debet esse augustius, quam semper præsentis numinis tremenda majestas implet, ad quam nonnisi paventes, et sacro horrore perfusi accedere debeamus, ut tamen quotidiè profanari cernimus! Delubrum sanctitatis est, fit diversorium impietatis: Dei domicilium in terris est, fit mortalium domus, immò templum. In medio sacrorum apparatu, in intimis penetralibus, sub ipsis penè aris, in locum æterni numinis adorantur (sine gemitu hoc dici non potest), adorantur, inquam, in locum æterni numinis viva idola et simulacra, in hoc diversa multùm ab ethnicorum simulacris et idolis, quòd oculos habent, et vident; aures habent, et audiunt; os habent, et loquuntur.

Laboranti hâc parte religioni non defuit Ludovicus. Regiam auctoritatem interposuit, minas intentavit, metum ostendit. Paternâ tamen bonitate impulsus, tempus dedit et spatium, si fortè homines

hoc terrore commoti ad se redirent; imitatus ipsius Dei consuetudinem, qui antequàm plectat sontes, eos diù minis territat. At non patietur ampliùs optimæ matris Ecclesiæ, quia inermis est, auctoritatem ab impiis filiis impunè violari.

Scilicet natu maximus ipse filius, ideò præcipuè sibi traditam ab immortali Deo regiam potestatem meminit, ut suæ et omnium nostrûm communis parentis Ecclesiæ jura dignitatemque defendat. Hinc incredibile illud Ludovici studium ad asserendam illi suam auctoritatem, ad confirmanda ejus judicia, ad tuendas illius immunitates. Hinc promulgatum non ita pridem edictum illud plenum sapientiæ et æquitatis, quo administris Ecclesiæ, rurisque pastoribus, vix nonnullis in locis præ inopiâ et egestate animam trahentibus, assertum est undè vitam honestiùs saltem commodiùsque sustentarent. Quæ verùm indignitas! Dùm pondus æstûs et diei portantibus deerat interdùm undè vitam alerent, undè corpus tegerent, interim alii, quibus nulla super grege cura, nulla sollicitudo, benè pingues, longo ac molli otio saginati, alienis laboribus in umbrâ atque in otio tranquillè fruebantur. Meliùs certè nunquàm Ludovicus potuit nec de religione ipsâ, nec de suis populis mereri; quorum æternæ saluti quantùm hoc edicto providerit, nemo est qui non intelligat.

At parùm id quidem esset, nisi prætereà eorumdem populorum fortunis ac felicitati consuleret. Et ista nunc cura regis ingentem animum occupat. Ecquid enim sibi volunt recentes istæ legationes per totam Galliam magistratuum clarissimorum? Quid istæ per oppida concursationes? quid lustrationes provinciarum? quid ingens iste rerum apparatus? Nonne ista omnia clamitare nobis et significare pa-

làm videntur, grande quiddam meditari Ludovicum, quo suis populis prodesse possit?

Ea plerumquè solet esse regum infelicitas et miseranda sanè conditio, ut alienis tantùm et oculis videant, et auribus audiant. Quamvis habitent in medio regno, longè tamen abesse videntur à suis, et velut in seposito quodam procul orbe versari. Eos inter et populos quidam quasi murus interest, famelica illa aulicorum et adulantium caterva, quæ honoribus et opibus saturata nunquàm, iisque semper avidè inhians, obstat quominùs ad regias aures inopis et egeni languida vox et suspiria perveniant.

Apparet rem longè aliter se habere: esse cujus domus, animus, aures semper pateant querelis miserorum: esse qui in summâ dignitate tanquam ipsius Dei manu ideò se constitutum putet, ut apud regem fungatur eodem ministerio quo apud Deum ille angelus, cujus manibus in sublime altare numinis mortalium preces et vota perferuntur. Et quæ est regis indoles, qui ipsius in populos amor, spes in futurum maximas certissimasque licet concipere!

Sed quid ego cogitata tantùm, necdùm perfecta Ludovici consilia commemoro, cùm tam illustria monumenta extent regiæ simul et paternæ in pauperes caritatis ac munificentiæ? Excitate animos vestros, auditores. Si in annalibus regum nostrorum aut etiam exterorum legeretis, extructam esse domum amplam et magnificam, quæ esset paupertati ac pudori asylum et perfugium; in quâ trecentæ nobiles virgines honestè et liberaliter educarentur; informarentur à teneris annis ad pietatem et religionem; denique omnibus artibus, quæ mulieres decent, instituerentur: vestram fidem obtestor, auditores; vestrum judicium imploro; quis esset sensus

vester, quæ admiratio, qui stupor? Atqui ejusmodi domus hâc ætate nostrâ, recentissimè, regiis Ludovici curis constituta est, non procul ab hâc civitate, ferè sub oculis nostris: et tamen nescio quomodò istis miraculis, quia juxtâ sunt, parùm afficimur; quasi verò rebus præsentibus et in conspectu nostro positis minor reverentia debeatur.

Vix credibile est quàm longè latèque pateat ista Ludovici munificentia. Sic enim parentum in bellis de rege et regno benè meritorum virtutem remuneratur; providet pupillarum orbitati; viduarum egestatem et luctum consolatur; familias illustres olim, at temporum injuriâ afflictas et jacentes, excitat atque erigit; ætatem lubricam admodùm, et injuriæ valdè obnoxiam, ab omni periculo vindicat; portum offert castitati, quæ inter angustias egestatis, inter tot peccandi illecebras posita, vix tri te naufragium vitare posset; regno suo format et instruit sapientes matresfamilias, quæ, in suas quæque provincias reversæ, quo animo liberos suos et cultum Dei et amorem regis edocebunt! Aris denique destinat sanctas virgines, quæ pro regni regisque incolumitate immortali Deo vota continuò precesque offerent. Nihil certè vidit ætas nostra hoc opere illustrius.

Habetis, auditores, regnantis in pace apud suos Ludovici speciem atque imaginem, non adumbratam inani fuco adulationis, sed ipsius veritatis coloribus et penicillo expressam. Unum jam superesset, ut postquàm exposui quemadmodùm Ludovicus totum se Deo, totum se populis consecravit, explicarem quid pro ipso Ludovico Deus, quid populi effecerint. Statuerem ante oculos vestros, tanquam illustre præmium illius in Deum pietatis, florentem

fortunam domûs ac stirpis regiæ, præsentemque in tot nepotibus, et jam nunc imperio gallico assertam æternitatem. Amoris verò in populos merces adesset omnium jucundissima, amor ipse populorum in regem infinitus. Commemorarem non erectas ei per totam Galliam statuas equestres, pedestres, ex ære, ex marmore; sed diem illum, qui unus Ludovico instar immortalitatis esse debuit, cùm parisina civitas multis quidem aliis virtutibus insignis, candore animi, bonitate indolis, priscâ simplicitate morum, religionis integritate, sed præsertim fide, obsequio, amore in suos reges excellens; cùm illa, inquam, è suis quasi convulsa sedibus, obviam regi prodiit ad gratulandum ei restitutam à Deo sanitatem.

At non sinunt angustiæ temporis ista ne quidem leviter à me delibari, admonentque me ut dicendi finem ante faciam, quàm vos attentè audiendi. Etsi enim, pro infinitate rerum à Ludovico Magno in pace gestarum, nunquàm haberi possit oratio longior, pro meâ tamen in dicendo mediocritate, vereor ne fortassè nimiùm diù aures vestras obtundere videar. Equidem rectè intelligebam opus hoc, quod susciperem, esse ejusmodi cujus magnitudinem nec angustiæ pectoris mei capere, nec hujus infirmæ adhuc et hodiè primùm in publicam lucem prodeuntis eloquentiæ timida vox sustinere posset. At recentibus Ludovici beneficiis ornatus, ejusque singulari liberalitate in hanc regiam Galliarum scholam advocatus, non potui continere me, quin statim oratione aliquâ, etsi parùm dignâ Ludovico Magno, gratum memoremque animum significarem. Et verò quî silere possim, cùm ego id ætatis collegam me additum iis videam, quibus uti magistris esset mihi perhonorificum. Nimirùm (dicam enim quod sentio,

quemadmodùm olim Romæ interdùm solebant adolescentes admitti in senatum, sedere inter illos prudentiâ non minùs quàm ætate venerandos senes, interesse etiam deliberationibus rerum maximarum, ut talibus assuefacti exemplis paulatim assumerent senatoriam gravitatem, animosque ad magna quondam et præclara fingerent: ita mihi videor in hunc doctissimorum hominum illustrem cœtum admissus, ut in eos continuò intuens, ipse quòque possim aliquandò hujusce domûs celebritate dignus existere. Videte autem, clarissimi collegæ, quantam mihi fiduciam afferat vestri existimatio nominis. Quantùmvis mediocriter et à naturâ et à doctrinâ instructus huc accedam, non diffido fore ut, vestris exemplis excitatus adjutusque consiliis, id tandem assequar, ut huic scholæ non sim omninò dedecori. Certè quantùm in me erit, studio atque industriâ enitar, ut qui me vicarium suæ diligentiæ ultrò assumpsit, vir scriptis et laboribus suis de immunitatibus Ecclesiæ gallicanæ deque ipsâ religione tam benè meritus, expectationem de me suam, si non expleri omnem, at saltem utcumque sustineri videat. Maximè verò ad laborem inflammabor, cùm meminero cujus auspiciis hanc illustrem domum ingressus sim. Non possum enim, auditores, non publicè gratulari talem patronum et mihi et omnibus litteratis hominibus, quibus ille Mecœnas adhuc puer, sed jam doctorum dulce decus et præsidium, in me ornando sustulisse signum videtur, quid eos in posterum sperare oporteat. Scilicet dùm clarissimus ejus parens regum maximo astat fidus administer, unus exequendis Ludovici consiliis, et tantæ negotiorum moli sustinendæ par; interim dignus tali parente filius, ætate puerili nihil puerile agitans, in se curam reci-

pit litteras hominesque litteratos fovendi; et longè gravissimis rebus occupatissimum patrem, quâ potest, istâ parte curarum levat. Inter tot incitamenta laboris ac diligentiæ meum erit efficere, ne cùm aliundè nihil defuerit, unus ipse mihi defuisse videar. Dixi.

GRATULATIO

AD SERENISSIMUM DELPHINUM.

5 decembr. 1688.

Cum paucis abhinc mensibus Ludovico Magno publicâ oratione gratularer, auditores ornatissimi, non arbitrabar fore ut bellorum incendia, quæ tunc vel extincta prorsùs, vel certè sopita videbantur, tam repentè deflagrarent; nec sperabam mihi, qui recens placidas ac minimè tumultuosas regis pacifici laudes attigissem, tam citò serenissimi Delphini labores arduos bellicasque virtutes plenas fragoris ac strepitûs esse celebrandas. Diversum sanè ac longè dispar orationis argumentum. Tunc proponebam oculis vestris Ludovicum, defatigatum vincendo suisque lauris coopertum undique ac penè obrutum, positis ultrò armis, et imperatâ pace devictis hostibus, nobili verèque regali otio tranquillè perfruentem. Hodiè verò idem propono vobis novum heroem, hactenùs privatæ vitæ velut angustiis inclusum, Martisque expertem, abrupto repentè otio transvolantem in castra, et per vestigia parentis, hoc est, per aperta belli pericula, per duros labores, per expugnationes urbium, per clades hostium, ad immortalitatem nominis incredibili celeritate properantem. Narrabam anteà quemadmodùm egregii milites, tandiù assueti sub Ludovico pugnare ac vincere, iisdem manibus, quibus hostem nuper fu-

derant, contra naturam ipsam luctarentur, eamque subigerent ac domarent; ne scilicet amitterent in pace præclaram pugnandi ac vincendi consuetudinem. At eosdem hodiè exhibebo, similes quodammodò eorum Judæorum qui et in opus simul et in hostes intenti, ædificabant alterâ, alterâ manu gladium tenebant; nostros, inquam, exhibebo milites, relicto opere, abjectisque ligonibus, repentè signo dato erumpentes in hostem, et Delphino duce urbium mœnia multò faciliùs alacriùsque subvertentes, quàm anteà montium altitudines deprimebant.

Felicem me, auditores, cui liceat in tam augusto clarissimorum hominum cœtu, novo imperatori primitias triumphorum illustres et pulchra belli rudimenta gratulari; ipsique Ludovico, rerum omnium quas Delphinus gessit geretque, auctori et duci, novum hoc laudis vectigal persolvere, quo nullum sanè parenti optimo neque jucundius neque acceptius offerri potest!

Id verò ut auderem aggredi, cùm mea me voluntas impulit, studiumque incredibile erga regem et Delphinum, quod mihi commune cum omnibus Gallis est; tùm adhortatio et tacita vox academiæ principis, quæ nulli regum unquàm tantùm debuit, quantùm à Ludovico et accepit jam, et in posterum expectat; tùm denique Sorbonæ auctoritas, hujusque nostræ domûs antiqua consuetudo, quæ nunquàm hactenùs celebrantis principum natalibus vel triumphis defuit. Cuperem, auditores, nihil afferre ad vos nisi dignum auribus vestris, dignum magnitudine argumenti, dignum etiam et hujus palæstræ, et Sorbonæ matris, et ipsius academiæ principis existimatione ac nomine. At si in laudando Delphino vincar à cæteris oratori-

bus ingenii laude et eloquentiæ famâ, quod facillimum erit, saltem, quod unum in me est, non patiar ab iisdem me vinci pietate et obsequio in principem.

Atque ut ad rem ipsam veniamus, ita ego recentes serenissimi Delphini victorias pertractabo, ut duabus hujusce orationis partibus expendam quid illæ victoriæ apud hostes, quid apud Gallos effecerint; quantum illis terrorem, luctum, desperationem; quantam nobis securitatem, lætitiam, spem attulerint; uno verbo ex his victoriis conjiciemus, qualem hostes imperatorem metuere debeant, qualem Galli sperare principem.

Sinite me, auditores, antequàm ad serenissimi Delphini triumphos veniam, paulò longiùs liberiùsque digredi in ea tempora, quæ proximè hoc bellum antecesserunt. Fruebatur tranquillâ pace totus ferè christianus orbis Ludovici Magni beneficio, ejusque sapientibus consiliis per universam latè Europam secura religio triumphabat. Nunquàm illa in terris visa est aut splendere illustriùs, aut gloriosiùs efficaciùsque dominari. In Gallià, in Hungariâ, in Britanniâ, ubique florebat: in Gallià, optimæ matris instar, filios ad se caritate non minùs quàm imperio revocans; in Hungariâ, ceu metuenda bellatrix, vi, ferro, terrore hostes christiani nominis domans ac conterens; in Britanniâ, tanquàm regina quidem, sed exul, solium undè per vim dejecta est, partim auctoritate, partim obsequio et blanditiis affectans.

In Gallià, ubi certam sedem domiciliumque statuit, et tanquam in suo regnat; victoriis ac triumphis Ludovici sola perfruens, videbat non sine incredibili voluptatis sensu redire ad se quotidiè multos ex iis, quos vel misera nascendi conditio parentum-

que disciplina, vel nescio quæ ingenita levitas animi mentisque cæcitas, vel pertinax obstinatio sententiæ, et pravus quidam deceptos se fatendi pudor, vel denique latentium sub pastoris habitu luporum iniqua fraus et malignæ artes ab optimæ matris gremio abstractos retinebant.

Ex alterâ parte eadem religio non magis Germanorum impetu adversùs Ottomanos defensa, quàm illustri otio et voluntariâ quiete Ludovici, à bello, hoc est à vincendo sponte cessantis, et alienos triumphos non solùm sine invidiâ, sed etiam cum gaudio intuentis; eadem, inquam, religio urbes, provincias, regna integra austriacæ ditioni lucrabatur; obsecundante Galliâ, si non armis victricibus, ut sæpè aliàs, at certè communibus studiis atque votis.

Denique apud Britannos ejusdem Ludovici freta patrocinio, tantique munita terrore nominis, videbatur jam religio respirare paululùm ex longâ servitute, et quasi recreata odore aliquo vicinæ libertatis, audebat ex tenebris, in quibus propter injuriam temporum velut peregrina et exul tandiù latitârat, prodire in publicum, dare se in apertam lucem, nec, ut anteà, hominum vultus et ora reformidabat. Deus immortalis! quæ species, quæ majestas, et religionis per Ludovicum ubique dominantis, et ipsius Ludovici pro religione tam feliciter vel in ipso otio laborantis!

At ecce per medios religionis triumphos felicitatemqne Galliæ, velut transversa incurrens hostium nostrorum invidia, omnia repentè turbat. Germanus, immemor veterum cladium, aut potiùs nimis earum memor, nescio quâ dicam-ne virtute suâ, an Turcarum hostium imbecillitate ferociens, ex mediis

Hungariæ campis, in quibus pugnabat tam feliciter, crebrò retorquere oculos videbatur ad hanc nostram Galliam secundis rebus florentissimam, mœrensque respectabat identidem ad illa oppida, quondam sua, quæ Ludovicus Magnus non solùm invictæ virtutis suæ testes, sed et certos obsides æternæ pacis, et adversùs hostium notrorum impetus obices firmissimos ac munimenta Galliæ esse voluit. Hæc autem Germanus intuens, tacitè secum fremere, indignari, excruciari; non tam fortunâ lætari suâ, quàm invidere nostræ; cum Turcis velle pacem, etsi victor; nobiscum optare bellum, toties victus; parvi ducere sanctam induciarum fidem; clam facere coitiones, clandestina habere concilia, inire belli societatem adversùs nos; Germaniæ principes vel fraude deceptos, vel magnificis promissis, sed inanibus, impletos, vel etiam pravis artibus contra Galliam accensos, in suas partes, aut potiùs in suum furorem, conari allicere. Hæc Germanus.

Quid Batavus interim, gens nescia suis sapere cladibus, inimica regum, ipsi infesta Deo; gens sine lege, sine fide, sine religione; nimis diuturnâ pace ac longiore saginata otio; affluente rerum omnium copiâ stolidè superbiens; libertate intemperanter et effrenatè abutens; eò demùm progressa insolentiæ et furoris, ut audeat se regum arbitram dominamque profiteri, iisque leges imponere armata velit: gens, uno verbo, asylum apertum et receptaculum commune cujuslibet sceleris, libidinis, impietatis, rebellionis, omniumque fautrix et amica religionum, præterquàm veræ? Ut illa infesto in nos odio ardebat! ut res nostras florentes ac secundas invidis oculis et maledico dente carpebat! ut ægrotante non ita pridem cum suo Ludovico Galliâ, nobisque om-

nibus cum parente optimo pariter jacentibus et afflictis, insultabat illa crudeliter pio dolori nostro anxiæque sollicitudini ! ut in communi omnium nostrûm mœrore ac gemitu triumphabat insolenter ! ut etiam nefaria vota de regis valetudine spesque sceleratas visa est concipere !

Restituta est ægrotanti Ludovico sanitas, Galliæ salus, nobis securitas ac lætitia, hostibus trepidatio; at non restincta eorum odia. Ex illo, desperatione quasi furentes omnia contra nos moliri clam, omnia tentare : spargere sinistros rumores de Galliâ; jactitare passim languidum morbo regem æterno se involvisse otio, evanuisse martios illos spiritus, tacere bellicam indolem; prætereà exhaustum ærarium, accisas opes, imminutas vires, res propè perditas ac desperatas. Sic exarsit in nos hostium invidia ac furor.

At decuit-ne te quoque, amica Roma (dolenter magis quàm contumeliosè loquor), Roma, toties regum nostrorum defensa armis, cumulata beneficiis, aucta muneribus; Roma, ipsius Ludovici piis consiliis amplificata nuper, ejusdemque constanti obsequio et pietate singulari insigniter decorata; decuit-ne te quoque, nescio quorumdam malevolorum dolorem suum aliquem ulcisci volentium, obtrectationibus, calumniis, falsisque criminationibus exacerbatam, à nobis abalienari, et ita agere in regem, de sede romanâ semper, de religione recens tam benè meritum, adhucque illustribus ornatum spoliis tot hominum anteà quasi captivorum sub hæresi, quos tibi, tibi, inquam, restitutos, regiis ferè humeris ipse in tuum et communis parentis Ecclesiæ sinum quàm piè tam feliciter reportavit?

Videbat hæc Ludovicus; neque enim erant ob-

scura; et, ne Europæ tranquillitatem interturbaret, tacitus ferebat. Nescio enim quomodò, amore pacis studioque tuendæ religionis, obduruerat et percalluerat regis incredibilis patientia.

Excitavit ille tandem aliquandò virtutem suam, non, ut hostes aiebant, languentem morbo, non oppressam infirmitate, non ignobili sopitam otio, sed moderatione ultrò repressam et quasi suspensam. Ostendit tumultuanti Europæ futurum dominum. È suo sinu tanquam aquila, generosam prolem in hostes emisit, serenissimum Delphinum, spem Galliæ, populorum delicias, plus dicam, Ludovicum alterum.

Quâ tum lætitiâ gestire visus est, quo triumphare gaudio, cùm audivit designatum se bello ducem! quas egit optimo parenti gratias ob tantum ac tale beneficium, quàm plenas obsequii et pietatis! Videt adesse tandem diem illum, quem tacitis votis tandiù optaverat; natalem verè diem, quo primùm ad immortalitatem aditus sibi patere incipit. Nihil jam nisi grande volvit animo. Cogitat suæ dexteræ ac fortitudini commissam esse parentis ultionem, Ludovici famam, salutem imperii, futuram Galliæ fortunam, ipsius quodammodò securitatem religionis, quæ jam in eo tanquam altero suî defensore conquiescit. Hæc verò cogitans excitat ipse se ad magna et fortia, acuit bellicam indolem, accendit sibi martios ignes ac spiritus, imperatorios sensus animosque assumit, denique Ludovicum Magnum induit.

Tanto ejus ardore cæteri incenduntur. Offerunt se in partem periculi et gloriæ serenissimi principes gemini Borbonidæ cum duce Cenomanorum, hactenùs aulæ decus et admiratio, futuri mox belli

fulmina, terrorque hostium. Sequeretur quòque dux carnutensis, sineret ætas, et parentis amor. Fluxerunt ex oculis generosi principis decoræ lacrymæ, testes avitæ ac borboniæ indolis futuræque virtutis indices.

Vix bellicum cani cœptum est, ecce tota ferè Gallia, suis quasi commota sedibus, ardet sub novo imperatore arma gerere. Confluunt catervatim ex omni parte ad danda nomina homines cujuslibet ætatis et conditionis. Videas etiam latentes sub galeâ pueros, gladiisque oneratos magis quàm armatos, velle tamen, vel in primo vitæ limine, patriæ ac principi vitam devovere, et sub tam illustri duce tirocinium ponere. Clamate jam, Batavi ac Germani, exhaustam esse hominibus Galliam ! sentietis ipsi quàm non sit. Accedet illis cum ætate robur et disciplina. Crescent sub umbrâ laurorum utriusque Ludovici, et edocti à veteranis militibus, nôrunt enim, quemadmodùm oporteat irrumpere vestros fines, expugnare urbes, profligare exercitus, vestris aliquandò cladibus suisque triumphis nobilitabuntur.

Delphinus interim, moræ impatiens, pulchroque accensus ardore gloriæ, proficiscitur. Novum bellatorem suis penè manibus in curru collocat Ludovicus, interque ipsas Victoriæ manus pretiosum pignus deponit. Verbis, monitis, complexu, muto conspectu martios afflat spiritus, novos addit animos, totumque se in natum pater transfundit. Tironem egregium præceptis ad vincendum instruit triumphalis imperator, qualibus ! Monet imprimis pugnandum esse sub auspiciis et quasi sub oculis Dei exercituum; ab eo optima consilia, ab eo expu-

gnationes urbium, ab eo victorias expectari oportere.

Quemadmodùm fulmen in sinu nubis repentè conceptum momento ferè uno punctoque temporis erumpit, emicat, percutit, conterit : ita Delphinus quasi è sinu parentis subitò emissus ad Philippoburgum, statim tonat, fulgurat, terret, percellit omnia. Qui profectus erat ex aulâ rerum bellicarum rudis, pervenit in castra optimus imperator, translatus repentè ex deliciis, ex umbratili exercitatione, ex otio, medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra, factusque subitò ex aulico miles, ex venatore bellator.

Conversis ad novum solem oculis, et in grande erecta spectaculum, stabat tanquàm in speculis universa latè Europa, pro variis studiis, spe, metu, pavore, admiratione suspensa. Et erat Philippoburgum ejusmodi theatrum, in quo possent ac deberent explicari omnes imperatoriæ virtutes. Constitutus in tantâ luce, et omnium oculis diligenter observatus, impositam sibi à patre præclaram illustremque personam tam egregiè animo et virtute sustinuit, ut, quæ omnium maxima laus mihi videtur, teste et judice Europâ omni, dignus Ludovico patre sit judicatus.

Adversantur omnia delphini consiliis, aut, ut veriùs loquar, ejusdem virtuti ac gloriæ favent omnia atque obsecundant : oppidi natura situsque opportunissimus; additæ humano labore moles substructionum atque aggerum ferè inexpugnabiles; intùs præsidium cùm numero, tùm animis ac robore valentissimum; dux veteranus et fortis; ciborum omniumque rerum ingens copia; vastæ circùm paludes, uliginosa loca, vix ut gravis miles armis

sine casu ac prolapsione progredi possit. Adde his temporis injuriam, aëris intemperiem, imbres ferè continuos, proximæ adventum hiemis, adeòque sævientis primùm frigoris in illâ præsertim regione acriores morsus. Hoc est, ut paucis omnia complectar, cœlum, terram, aquam, omnia nobis adversa.

Talia generosam Ludovici prolem initia decuerunt. Adolescentiæ tempus extremum, principium habere bellorum atque imperiorum maximorum; nullis terreri difficultatibus, nullis moveri incommodis: luctari contra naturam, contra injuriam temporum, contra iniquitatem locorum; invertere rerum et tempestatum ordinem; arma sumere cùm cæteri deponant; inchoare bellum cùm alibi finiatur; hiemem, quam cæteri principes vix urbium tectis sustinere possunt, agere in medio campo et frigidis regionibus; hostem persequi, cùm omnia bella jure gentium conquiescant: hæc sunt prodigia quibus totidem quasi gradibus ad hanc, quâ nunc fruitur, immortalem gloriam ascendit Ludovicus; hæ quoque illustres Delphini primitiæ et clara belli rudimenta.

Tunc non pœnituit fortissimum principem veterum Romanorum more indurâsse corpus venando, et hâc nobili exercitatione ac fictâ belli imagine futuris prælusisse pugnis. Standum, vigilandum, laborandum; ducendæ insomnes sæpè noctes, incumbendum duro solo, et nonnunquàm humidis paludibus. Hæc Delphinus delicias putat. Adest ubique, non spectator otiosus, sed hortator operis, dux laboris, socius periculi; et quà maximè ardet ignis, vadit imperterritus.

Monueras, Ludovice, proficiscentem, et inter

brachia tenerrimè amplexus, per auctoritatem regiam, per paternam caritatem, per spes Galliæ, per ipsum obtestatus eras, ut ne se incautiùs ardore gloriæ abripi sineret. At apud ejus animum magis valuit exemplorum viva vox. Non potuit continere se, recordatus te, in cujus unius animâ nitebatur Galliæ salus, in castris, in acie, inter sævum horrorem armorum, inter ruentium undique telorum atque ignium stridorem, inter ipsa vulnera ac medias propè mortes crevisse, adolevisse, et ad tantam gloriæ maturitatem pervenisse.

Nos verò trepidare Galli, excruciari sollicitudine, penè exanimari metu, horrere tanto nostro principisque periculo, quæsitas lauros, et suffocante admirationem pavore, timidè lætari ejus triumphis: revocare etiam in memoriam præteritos metus crudelemque totius Galliæ anxietatem, cùm tu, Ludovice, per labores eosdem, per eadem pericula, non tam gloriæ tuæ quàm nostræ securitati consuleres.

At ille et parentis mandatorum et pavoris nostri parùm memor, pergit acriter urgere obsidionem: iterùm atque iterùm ipse lustrat equo mœnia, agnoscit situm oppidi, opera circumspicit, volitat per medios ordines, nostris animos, hostibus terrorem infert; militem acuit spe, laude, præmio; labores promovet, offert se periculis, erumpentes obsessos non sine maximâ eorum strage intra oppidi mœnia fugat ac compellit.

Præsides Galliæ angeli quorum in tutelâ florentissimum hoc imperium summus regnantum arbiter esse jussit; vosque, quos regum ac principum lateribus comites ac custodes adjunxit; quandòquidem ad hoc bellum non sitis insana gloriæ, non ambi-

tiosa cupiditas promovendi per fas ac nefas regni limites, sed unius securitatis ratio, et tuendæ pacis sincerus ac constans amor nos impulit, adeste densatis agminibus circum principem, alis hunc vestris tanquàm vallo septum ac munitum defendite adversùs hostium impetus; avertite procul ab ejus pretioso capite vim telorum atque ignium.

Eorum præsidio defensus ita urget obsidionem, ita incendit suos, ita hostes premit, ut illi non possint ampliùs nec fortissimorum militum ardorem, nec invicti imperatoris vim atque impetum sustinere. Tandem urbs victori Delphino supplex portas aperit.

Nunquàm-ne agnosces, Germane, vires et nostras et tuas? nunquàm-ne, tuis quidem edoctus malis, oblatam pacem accipies? En victor iterùm Ludovicus, sed armatâ dexterâ pacatum tamen retinens animum, pacis conditiones easdem offert quas anteà, tibi sanè quàm nobis æquiores. Potes victorias tuas adversùs Ottomanum cœlo favente feliciter persequi, summo tuo et religionis commodo.

Nos interim fruemur Delphini victoriis. Jam eo spectante deducitur ex urbe præsidium. Hic verò fuit dulcissimus et Galliæ et novo imperatori triumphus. Hîc utriusque gentis indoles et virtus agnosci potuit. Gallus non ita multis abhinc annis in eâdem urbe obsessus, postquàm per quatuor menses, eosque æstivos, conjuratas totius Germaniæ vires, numerosissimosque exercitus cum terribili apparatu ad hanc obsidionem profectos sustinuisset, multisque etiam cladibus affecisset, tandem spe auxilii, cibis, munimentis, penè mœnibus, omni denique re, præterquàm animo, destitutus, truncati corporis nobiles reliquias trahens, totus cruore, vulneribus,

gloriâ coopertus, cum suo duce fortissimo et invictissimo, elatâ cervice, triumphantis potiùs in morem quàm victi, etiam cum hostium admiratione et stupore cessit. At Germanus, robore et numero valens, optimo habitu firmissimisque viribus, vix aliquot dierum et in hieme obsidionem passus, omni, re instructissimus, etiam animis, quos tamen ei mox Delphini virtus et audacia ademit, stupentibus quidem Gallis, sed quòd se ita integer dedidisset, numeroso agmine in patriam ad suos nuncius cladis fugit.

En quid bello possit Delphinus, auditores; neque enim necesse, arbitror, cæteras referre victorias, quæ statim hanc consecutæ sunt. En qualem hostes imperatorem metuere debeant. Superest ut ostendam qualem ipsi nos debeamus sperare principem. Quod dùm alterâ hujus orationis parte exequor, eâdem me, quæso, quâ hactenùs, attentione sublevetis.

Quanquam regnorum atque imperiorum fortuna, si non perpetua immotaque stat, saltem æternis fixa legibus in longas durat ætates, et spatio inclusa seculorum propè infinito, quamdam habet suam æternitatem; tamen eorum sors ita conjuncta cum singulorum sorte regum est, ut tanquam si unius tantùm ævi futura sint, et jacere cum iis pariter, et cum iis quoque simul florere plerumquè soleant. Hinc dùm reges imbecilli vagiunt in cunis repuntque in purpurâ; dùm splendor ille majestatis regiæ velut inclusus fasciis atque pannis, et infantiâ tanquam nube involutus delitescit, infantiam quoque suam regna ipsa patiuntur, multisque tunc patent obnoxia infirmitatibus ac miseriis. Hinc dùm illi

paulò quidem robustiores, sed tamen adhuc sub tutelâ positi, alienis tantùm et oculis vident, et auribus audiunt, simulacra regum potiusquàm reges, concutiuntur interim regna magnis sæpè motibus, et, tanquam destituta gubernatore navis, variis bellorum ac seditionum tempestatibus agitantur. Hinc denique, cùm ætatis progressu sumpsêre vires, viget quoque cum eis, suam veluti assecuta maturitatem, publica securitas.

Atque ista est nostræ imago Galliæ, quæ suis olim infante et pupillo Ludovico jactata casibus, jam diù per eumdem vel triumphat in bello feliciter, vel altâ in pace secura conquiescit. Verùm si ex alto hujus gloriæ fastigio prospiceret Gallia futuras aliquandò tenebras easdem, quibus obscuratam se olim meminit, fatendum est, auditores : quanquam solem illa suum medio nunc in cursu maximè vividum intuens, longam sub eo lucem ac serenitatem expectare debeat, non tam præsentis felicitatis illam sensus afficeret, quàm torqueret et præteriti temporis recordatio, et futuri metus. At quòcumque nunc illa se convertat, quantùmvis longè prospiciat in ventura tempora, nihil est omnino quod metuat. Cùm intuetur in serenissimum Delphinum, videt præsentem et certam perpetuitatem suæ fortunæ ac felicitatis, ejusque velut obsides habet recentes victorias ac triumphos.

Poteramus quidem anteà cùm ex indole regiâ serenissimi principis, tùm ex ejusdem præclarâ institutione, tùm præsertim quòd erat Ludovici Magni filius, conjicere nobiscum, tacitique animo æstimare qualis quantusque olim esset futurus. Sed tamen, ut est semper valdè suspicax et inquieta expectatio, maximèque timida spes, non sine sollici-

tudine quâdam hæc sperare poteramus. Atque illud est quo fit ut nos de pace quodammodò possimus jure conqueri, quæ tandiù Galliam spes suas celavit, nec Delphinum nobis nisi per quædam involucra et integumenta quasi particulatim et ex longinquo aspiciendum dederit.

Quem igitur diuturna pax otio tanquam tenebris inclusum, oculis nostris eripuerat, eum tandem victoria in pleno quasi lumine spectandum collocavit. Ita est, auditores. Serenissimus Delphinus hâc primâ expeditione bellicâ, totus, quantuscumque est, apparuit : natus ad imperandum, maximis quibusque rebus consilio et virtute par : bellicæ rei sciens, laboris maximè patiens, periculi haud metuens, manu miles, animo imperator : pulchro ardore mentis atque impetu, juvenis; moderatione et prudentiâ penè senex : sine temeritate audax, sine ostentatione munificus, sine humilitate popularis : virtutis alienæ testis non invidus, laudator non malignus, remunerator non parcus; secundâ fortunâ non exultans juveniliter, aut insolenter superbiens; denique omnibus factis et consiliis Ludovici Magni æmulus, et parente jam minor uno. Quæso vos, auditores : nonne in illâ veluti secundâ majestate primam ac regnantem agnoscitis, in filio parentem, in Ludovico nondùm Magno Ludovicum Magnum?

Duabus omninò rebus constat Ludovici laus et dignitas, pietate in Deum, amore in populos. Hæc quoque serenissimus Delphinus futuræ gloriæ quasi fundamenta esse voluit. Unum est quod addiderit è suo, obsequium in parentem. His tribus virtutibus et omnis Delphini gloria, et Galliæ spes tota nititur.

Intelligit pius princeps, et sæpè à Ludovico, quem

habet in arte regnandi præceptorem, audiit; regem quasi medium sedere Deum inter et homines, longè tamen inferiorem illo quàm istis superiorem, debere inter utrumque partiri se totum : colere hunc et vereri tanquam parentem ac dominum; tueri illos et amare tanquam liberos; huic parere suppliciter, illis leniter imperare; hujus religionem auctoritate suâ et armis defendere; illorum consulere felicitati. Hæc sunt egregia præcepta quibus regii adolescentis pectus impletum imbutumque est : hæc morum et universæ vitæ tanquam norma et regula, ad quam omnia consilia et facta dirigit.

Idem verò qualis hac primâ expeditione visus est erga suos! Quàm incredibilis ejus in milites amor! quàm inaudita bonitas! quàm singularis humanitas! quàm effusa liberalitas! quibus virtutibus quis non intelligit contineri et maximum regnantium decus, et veram populorum felicitatem?

Stupuit universa Europa quàm intra paucos dies Philippoburgum ceperit. Poterat eam urbem multò maturiùs expugnare : at quâ est caritate in suos, maluit tardiorem victoriam, sed cruentam minùs; maluit deperdere aliquid de famâ et existimatione quàm de exercitu, et militum saluti potiusquàm gloriæ suæ consulere. O dignum sanè totius orbis oculis spectaculum ! princeps adolescens, regum maximi filius, inflammatus immensâ cupiditate gloriæ, in ipso æstu et impetu ætatis, quæ naturâ ardens est et omnis moræ impatiens; in primâ expeditione, in quâ singuli dies, horæ, momenta accuratè numerantur, et multùm ad laudem valent, patitur tamen suos differri triumphos; victoriam ultrò ad se Gallos vocantem ex mœnibus hosticis expectare jubet; ardorem militum pugnam magno cla-

more poscentium quietus ipse comprimit, ne eorum nimio cruore tinctas lauros colligat.

Cuperet etiam, si fieri posset, ab ipsius mortis faucibus eripere, quos Martis vis perculit. Saltem viventibus, quæ potest, officia persolvit. Perlustrat ipse tentoria, integris ac valentibus gratulatur, consolatur ægros, sauciorum curam haberi jubet; eâdem dextera, quâ modò repulit hostes, sublevat hujus inopiam, virtutem illius remuneratur, militum auctoritate dominus, imperio dux, facilitate socius, amore frater, caritate parens.

In quas terras, in quæ pericula talem ducem tales milites non sequentur? Valet enim multùm apud militum animos ista cogitatio : Me saucium recreavit, me prædâ donavit; non dedignatus est me visere ægrotantem, excitare convalescentem : hujus primis victoriis adfuimus; hoc duce urbem munitissimam expugnavimus : virtutis meæ testis et laudator extitit; scripsit de me nominatim ad regem : non minùs iste militi quàm sibi parcit : ipse cùm humanus et popularis, tùm maximè liberalis ac munificus. Et verò sic admirari Delphinum milites, sic amare, sic ardere in eum studio incredibili, sic effusè venerari, ut satius penè ducerent eo præsente ac spectante mori, quàm vincere alibi.

Qui sic in bello parcit militibus imperator, quanto studio rex fovebit in pace cives! Qui adolescens comitate, liberalitate, omnium in se amorem et venerationem allicit, quàm futurus est idem aliquandò et popularis et munificus, cùm major ætas auctoritasque benefaciendi non potestatem solùm, sed ipsâ consuetudine voluntatem quoque adauxerit! Talem nobis Galliæque principem superi desti-

nant, auditores; talem suis ipse manibus sibi finxit successorem Ludovicus.

Et illud est omnium, quæ ille unquàm pro Galliâ suâ fecerit, longè maximum. Fregit quidem sæpè conjuratas in nostram perniciem totius Europæ vires; promovit longè Galliæ limites ac terminos; eamdem adversùs gentium vicinarum impetus illustribus victoriis, immensisque munitionum molibus, penè dicam meliùs firmiùsque muniit, quàm eam antè munierat natura ipsa vel Pyrenæorum montibus, vel Alpium jugis, vel Rheni gurgitibus, vel ipsius Oceani interjectu. Pace tamen dicam tuâ, Ludovice; nihil perfeceras his omnibus, nisi, qui unus poteras, tibi successorem ipse formâsses tantæ magnitudinis moli sustinendæ parem. Quid enim aliter profuissent tot præclara facinora, quid victoriæ, quid triumphi, quid istius altitudo fortunæ et gloriæ, ad quam frementibus nequicquam hostibus obsecundans virtuti tuæ felicitas nos evexit? nisi ut eadem Gallia aliquandò vicinarum gentium odio, invidiæ, furori, fortassè etiam prædæ objecta et derelicta, eò turpiùs jaceret, quò nunc te dominante floret illustriùs; et magnitudine quodammodo laborans suâ, tantæ potestatis velut nimio pondere ac fastigio obrueretur?

Hinc igitur intelligite, auditores, quantùm nos Galli parenti optimo debeamus: at æstimate simul quàm et nobis utiliter, et sibi gloriosè serenissimus Delphinus insumpserit ea vitæ spatia, quæ tanquam ignobili traducta otio, nobis fortassè vacua ab omni laude videbantur. Fateor mensem hunc ultimum, quem celebramus, majori in luce et tanquam in illustriori theatro splendidius esse magnificentiusque traductum. Hunc distinxerunt bellicæ, regiæ,

imperatoriæ, cujuslibet generis virtutes; exornârunt obsidiones urbium, expugnationes oppidorum, victoriæ, triumphi, militum, hostium; civium applausus et gratulationes; illustravit testis, spectator, admirator orbis; denique etiam quodammodò consecravit laudator Ludovicus. Non tamen reliquum anteactæ vitæ tempus laude caruit suâ. Spatium illud quàm longum est, una sed perpetua virtus commendavit, obsequium in parentem, omni imperio majus, omni potestate sublimius: una res occupavit, imperandi tirocinium sub domitore gentium Ludovico, fons et seminarium triumphorum futuræque gloriæ, omnique etiam triumpho illustrius.

Utinam liceret penitùs introspicere sensus arcanos serenissimi principis, et in intimos generosæ mentis recessus affectusque altiùs descendere! Videremus quale sit et quàm excellens illud obsequium de quo nunc loquor, ut maximè sincerum ac constans, ut stabile et nunquàm degener, non assumptum ad tempus, non obnoxium levitati, non mendacii fuco illitum, non imbutum artificio simulationis; sed haustum expressumque ex naturâ ipsâ, studio et meditatione excultum diligenter, quotidianâ exercitatione factum ita familiare, vix ut sentiatur jam et appareat: non in oculis tantùm et vultu emicans, quibus plerumquè simulatio sustinetur; non extremis leviter oberrans labris, aut adhærens summæ linguæ, quæ facilè huc et illuc torquetur ac flectitur; sed penitùs inhærens animo, altè infixum pectori, moribus insidens, sparsum æqualiter per universas vitæ actiones, omnibus factis, dictis, consiliis velut præsidens et imperans, multiplex etiam pro multiplici varietate temporum

et officiorum; quamlibet formam ac personam induens, nunc subditi obsequentis, nunc amantissimi filii, nunc etiam docilis atque attenti discipuli. Delphinus enim in uno eodemque Ludovico regem veneratur, parentem amat, præceptorem colit; felix qui, tali præditus indole, talem nactus sit magistrum, à quo benè regnandi posset non solùm præcepta petere, sed etiam viva exempla mutuari!

Quàcumque enim parte Ludovicum intueretur, habebat exemplar perfectissimum, in quod intuens non posset ipse non fieri magnus. Si eum animo sequeretur in castra, videbat ei antecedere terrorem, prævolare victoriam, ejus lateribus assidere fortitudinem, æquitatem, moderationem, clementiam illustrem comitatum: semper verò subsequi gloriam ac triumphos. Si eumdem in pace et otio contemplaretur, occurrebant innumeræ virtutes, magnitudo animi, justitia, bonitas, humanitas, amor in populos singularis, populorum in hunc vicissim amor infinitus; et, quibus cætera omnia quasi consecrantur, pietas summa ac religio. His tot tantisque virtutibus meditandis vitam omnem insumpsit Delphinus, imitandis mensem unum.

Quæ verò nunc mens vestra est, qui sensus, vos, quorum fidei et prudentiæ suas Galliæque spes, grande depositum, tam feliciter Ludovicus credidit? Neque enim fas esse arbitror silere me de vobis tùm cùm omnes tacitè gratulari videantur; nec profectò serenissimus ipse Delphinus recuset communicare vobiscum lauros eas, quas intelligit vestris quodammodò excultas laboribus, sudoribusque irrigatas crevisse tàm celeriter, suamque tàm citò assecutas esse viriditatem. Multa quidem aliundè vobis debet cùm Gallia universa, tùm etiam ipsa religio: illa al-

terius manu, gladio, fortibus consiliis : hæc alterius linguâ, stylo, scriptis immortalibus et religionis majestate dignis, adversùs hostes suos defensa tam acriter et gloriosè : utraque tamen hoc nomine multò plus vobis debet, quòd per vos non mediocri ex parte, per vos, inquam, effectum est ut parem Ludovico defensorem hæc, illa regem habitura sit. Vos concordibus studiis et curis teneram finxistis principis indolem, et per se jam ultrò laudis et honestatis appetentem, ad præclara virtutis et litterarum studia sapienter impulistis : vos, latentes ingenii igniculos, et innata maximarum virtutum semina moderatâ et gravi disciplinâ excitâstis : vos ejus animum amore recti et veri imbutum docuistis nihil sapere humile, nihil abjectum, nihil nisi dignum principe, et principe christiano. Pro tam immortali beneficio nihil habet nec Gallia nec Ludovicus quod vobis rependat, nisi ipsas serenissimi Delphini, quæ jure quodam vestræ quoque sunt, virtutes atque laudes. Galliæ igitur salus, felicitas populorum, infinita Ludovici lætitia, religionis ipsius securitas, hæc erunt laboris vestri fructus sanè jucundissimus, mercesque pulcherrima meritorum.

Nihil minùs et ab egregiâ principis indole, et à curis laboribusque talium virorum expectandum erat. Destinârat illos scilicet ad tam illustre munus, quæ regum fortunis et imperiorum saluti vigilans excubat æternæ mentis providentia, iisque omnibus virtutibus, quæ ad formandos reges necessariæ sunt, plenè cumulatèque instruxerat. Quoties illi, antequàm ad erudiendum principem accederent, postulârunt ab immortali Deo, in cujus manibus regum corda sunt, ut filio regis justitiam, ut cor docile, ut viscera misericordiæ in populos tribue-

ret; et ipse ejus manus ad prælium et digitos ad bellum doceret; ut denique principem juxta cor suum et in suo conspectu placentem efficeret? Et vota audita sunt. Quoties Delphini adhuc pueri indolem, animum, intimos sensus, vultum, oculos, sermones, responsa, silentium ipsum altâ mente perpendentes, fausta secum uterque conceperunt omina futuræ Gallorum felicitatis! Nec eos sua fefellit opinio.

Nimirùm conjici certò potest ex regum pueritiâ et adolescentiâ quales aliquandò futuri sint. Licèt enim tunc eorum nec delicatæ manus sceptrum gerant, nec tenera frons diademate regio cingatur; licèt, paterno imperio subjecti, inter subditos ipsi privatosque homines quodammodò numerentur; tamen intra domesticos parietes videntur habere sibi sepositum quoddam veluti regnum et seclusam aulam, in quâ reges ipsi quoque sunt et agnoscuntur; in quâ jam incipiunt quasi supremâ auctoritate dominari. Sui sunt illis subditi qui ad nutum pareant, sui aulici qui obsequio et assiduitate captent gratiam, sui etiam interdùm adulatores, qui eorum non voluntatibus solùm ac studiis, sed etiam cupiditatibus obsequantur: neque enim desunt illis cupiditates, quales admittit puerilis ætas; amor, odium, æmulatio, ira, vindicta. Nondùm quidem eorum humeris incumbunt arduæ moles negotiorum; nondùm habent hostes quos vincere, socios quos in amicitiâ retinere, populos quos regere ac tueri oporteat; non tamen omni propterea carent sollicitudine: angit illos plerumquè et torquet admodùm constans illa vivendi lex, ratioque studiorum, semper eadem, semper statis quibusdam horis et certo ordine recurrens; quam vitæ æqualitatem homines moderati et graves

vix sustinere possunt, nedùm puerorum et principum ingenita levitas patienter ferat: prætereà multæ exsorbendæ difficultates molestiæque devorandæ, vivendum semper ad aliorum arbitrium, non ad suum; placendum parentibus, non displicendum magistris, conservanda æqualium studia, inferiorum etiam voluntates retinendæ, omnium denique oculis serviendum. Qui igitur his omnibus muneribus rectè fungatur etiam puer, eum certò conjici potest futurum aliquandò maximum, ubi ætas ratioque accesserit. Et is fuit Delphinus.

Narrate vos, potestis enim, quos privatæ vitæ testes, et in adolescentiâ quasi sodales habuit, quæ vidistis ipsi sæpè, quæ stupuistis; et docete Galliam quid sperare debeat. Nunquàm, auditores, ulla melior indoles extitit. Non ille puerorum more acerbus in quemquam, non cupidus nocendi, non verbis contumeliosus, non malevolentiâ suffusus: benignus erga omnes, officiosus erga singulos, nihil ex summâ fortunâ sibi vindicans, præter benefaciendi voluptatem; nihil oblivisci solitus, præter injurias: ab ipsâ infantiâ sic amicus veri, sic mendacii insolens, ut, quod in infante penè incredibile est, quia inauditum, hunc nemo unquàm mentientem vidisse dicatur: idem suprà quàm dici potest liberalis ac munificus in suos, neque id temeritate et impetu, sed ratione et judicio, in remunerando scilicet officiorum et meriti memor; pauperes semper tanquàm Christi membra reveritus; non eorum precibus ac querelis aures crudeliter obstruens; non fastidiosè avertens aut animum à cogitatione, aut oculos à conspectu alienæ miseriæ; quantùm solidi honoris veræque gloriæ appetens atque avidus, tantùm inimicus et impatiens non adulationis solùm, sed etiam

debitæ laudis; sermonis parcus, linguæ temperans, arcani tenax, tutus, latens, impenetrabilis; ingenio sagaci et perspicaci; observans omnia diligenter, uniuscujusque indolem et animum facilè dignoscens; plenus denique pietatis in Deum, obsequii in parentem, reverentiæ in magistros, humanitatis erga omnes.

Fidem vestram imploro, auditores: an meliorem potestis aut animo fingere, aut votis optare principem? Quid jam vobis videtur deesse serenissimo Delphino ad summam felicitatem ac fortunam? Paucis mecum perlustrate omnia. Accepit à naturâ, cum præstanti indole, omnium semina virtutum quæ regem decent: accessit præclara et tot virtutibus digna institutio; parentem habet qualis nemini hactenùs regum contigit, amorem populorum, terrorem hostium, belli pacisque artibus maximum, pietatis tamen laude et amore religionis longè majorem. Adest prætereà pars præcipua felicitatis, Delphina conjux, femina, si unquàm fuit, cùm genere et dignitate corporis, tùm maximè conjugio et fecunditate fortunata. Huic ingenium elegans, venustum, tenerum, delicatum, neque muliebre; acutum idem, splendidum, imbutum litteris, et pro sexu ac conditione decenter eruditum. In illâ nihil fastidiosum, nihil impotens; placens se ipsâ totâ; aditu comis, sermone affabilis, facilitate penè privata. Denique his omnibus, quasi cumulus, accessit rarum principibus et ferè inusitatum felicitatis genus, numerosa soboles liberorum, qui parentem et avum spe, indole, animo jam referunt; in eo quidem longè feliciores quàm et avus et parens, quòd ille, quem imitaretur, habuit neminem, hic parentem tantùm; ipsi verò

habebunt et parentem et avum quem possint imitari.

Hæc felicitas Delphini, auditores; immò hæc Ludovici, hæc Galliæ, hæc nostra felicitas est. Quid igitur aliud jam debemus et possumus, nisi pro Galliæ principumque nostrorum incolumitate quotidianas preces concipere, et perpetua vota nuncupare. Quamobrem Deum optimum, maximum, cujus nutu et arbitrio regna omnia et conservantur et intereunt; cujus pro hoc imperio augendo custodiendoque inter infinitas tempestates et procellas, et in ipso corruentium undique regnorum fragore, pertinax indulgentia semper excubuit; Deum, inquam, optimum; maximum imploremus, non ut nova nobis bona impertiat (quid enim est quod sperare possimus et melius et majus quàm quod habemus?), sed ut jam data et concessa tueatur; ut, qui Deus pacis est, pacificam mentem, pacifica consilia Europæ principibus inspiret; ut religionem hîc, in Hungariâ, in Britanniâ, ubique terrarum magis ac magis florere jubeat; ut præsertim concordiam revocet inter summum pontificem et Ludovicum Magnum, hoc est inter parentem et filium, utrumque tam benè de religione meritum, utrumque tam præclaris virtutibus insignem, utrumque dignum qui mutuæ inter se concordiæ et caritatis æterno fœdere vinciantur: denique ut Ludovicum filio et nepotibus, Ludovico nepotes et filium, utrosque huic imperio velit quàm diutissimè conservare. Dixi.

ORATIO

IN LAUDEM LUDOVICI MAGNI,

Habita die 21 maii 1695.

Fuit illa quondam apud Judæos quàm piè, tam sapienter instituta lex et consuetudo, auditores ornatissimi, ut, erepti divinâ ope ex aliquo gravi casu et discrimine, aut repressis aliquâ insigni victoriâ superborum hostium conatibus, statim præpotenti Domino exercituum, et unico triumphorum auctori Deo gratum animum publicâ gratiarum actione testarentur; iidemque ad memoriam rei gestæ sempiternam, et admirationem posterorum, recentes victorias veluti quodam triumphali carmine consignarent. Hinc illa sacrorum vatum cantica, nobis redivivos quodammodò exhibent Hebræorum triumphos: extractam et avulsam ex impiis Pharaonis manibus numerosam Abrami prolem: ad nutum unius Moysis ruptum subitò et dehiscens mare: laxatam Israëlitis per suspensos utrinque pelagi fluctus viam; iisdem mox revolutis in se fluctibus insepultum cum exercitu Pharaonem: et alia ejusmodi miracula, per quæ felix iste populus divinis semper quasi portatus humeris, tandem aliquandò in optatâ tellure conquievit. Scilicet noverant sancti heroes, quascumque victorias reportâssent, eas non suis consiliis ac viribus, non armis militum aut numero deberi, sed unico supremi numinis præsidio: nullâ re autem magis exacerbari hunc, ut se ipse vocat,

æmulatorem Deum, quàm si injuriosâ oblivione aut ingrato silentio beneficia sua premerentur.

Eàdem procul dubio mente hodiernam hanc solemnitatem in academiâ nostrâ institutam ac fundatam esse voluit parisina civitas. Quid enim aliud agimus, dùm in hoc celeberrimo conventu laudes aggredimur illius principis, quem inter aperta Martis discrimina, quibus toties regale caput obtulit, inter pertinacem iram et cæca odia vicinarum gentium regum æmulorum, præsertim verò in hâc postremâ conspiratione totius Europæ, præsens tutela summi numinis non modò incolumem et illæsum, sed etiam victorem hucusque præstitit: quid, inquam, aliud quàm divina in Ludovicum Magnum omnemque Galliam beneficia celebramus? Lubenter igitur totius terrarum orbis princeps academia vocem hodiè suam commodat urbium reginæ ac principi Lutetiæ, ad significandos grati animi sensus erga optimum utriusque parentem Ludovicum, aut potiùs ad agendas publicè gratias immortali Deo, per quem ille, hostium suîque victor, et fortissimi imperatoris vices et christiani principis munia tam præclarè ac feliciter adimplevit. In his enim duobus ut omnis Ludovici gloria consistit, ita etiam nostra omnis oratio versabitur. In alterâ parte bellatorem, in alterâ christianum intuebimur: in hâc bellicas Ludovici victorias et virtutes, in istâ pietatem ejus ac religionem; in utrâque singularem erga ipsum supremi numinis providentiam conabimur breviter adumbrare.

Nemini unquàm principi nec maturior contigit belli gloria, nec constantior fideliorque adhæsit, nec majoribus incrementis ad summum perducta

cumulum est, quàm Ludovico Magno. Vix acceperat gallici regni difficiles habenas tener imperator, cùm regias pueri cunas statim salutans Victoria, infantemque dominum agnoscens, nobili triumpho consecravit primordia illius imperii, cujus omne spatium aliud nihil futurum erat quàm perpetuus quidam tenor et continua series triumphorum. Visa est hoc quasi pignore futuro Europæ domino fidem obligâsse suam, eique se jàm tùm in omne vitæ tempus comitem et administram devovisse. Enimverò crevit inter ipsas, ut ita dicam, Victoriæ manus laureatus infans, paulatimque tam illustribus auspiciis ad omnem majestatis imperatoriæ vim et dignitatem nobilis alumnus adolevit.

Primis hisce annis, quibus nondùm habiles sunt regum manus jaculandis belli fulminibus, aut gerendo sceptro pares, fingebat Ludovico natura corpus, quale debet esse bellatori, procerum et eminens, firmum ac patiens laboris : imprimebat ejus ori ac fronti illa lineamenta mixta terrore et blanditiis, ex quibus efflorescit quidam regalis decor et digna imperante majestas : afflabat ejus oculis imperatorium illum ardorem, cujus vim tanquam fulguris nec in acie hostes, nec in ipsâ pace cives sustinere possunt.

Interim omni genere bellorum exerciti magis ac magis in dies clarescebant illustrissimi duo imperatores, quos divina Providentia bellicæ rei præceptores ac magistros Ludovico Magno destinârat, Condæus ac Turennius. Deus immortalis ! quàm nobile par heroum ! quàm in illâ disparitate indolis, et dissimilitudine ingeniorum, bellicâ virtute et laude imperatoriâ pares ! Alter præ ardore mentis impatiens moræ, suîque ipsius benè impotens, vivido impetu statim rapere victoriam ferox, urgere successus pros-

peros feliciter audax, promptus idem resarcire adversa: ipso periculorum ac mortis contemptu extra omnem belli aleam quasi positus, nolle lenta consilia, fastidire incruentos ac faciles triumphos, nec appetere nisi venalem morte lauream. Alter in ipso ardore certaminis penè dicam frigidus, suîque tum maximè compos et arbiter; pericula non metuens quidem, at nec temerè lacescens; nihil permittens fortunæ ac temeritati quod sapientiâ geri posset; solitus cum exiguâ manu militum conjunctis hostium viribus ire obviàm, numerosi ipse instar exercitûs; imprimis solers ex afflictis rebus et desperatis, sine detrimento, ac sæpè etiam cum gloriâ emergere.

Magistros nactus tales heroas, quales vix unum aut alterum longâ sæculorum serie terris ostendit divina Providentia, cùm scilicet grande aliquid meditatur, Ludovicus prima hausit bellicæ artis elementa. Sub his didicit docilis imperator quemadmodùm oporteret hostium consilia sagaciter odorari, tegere prudenter sua; arripere opportunitatem temporis, cujus vel momento celeritas transvolat; eventus trahere, non sequi; vel ipsa fortuita, atque etiam adversa in consilium flectere; nihil per temeritatem aggredi, nihil inausum relinquere per ignaviam; castra metari opportunè; commeatus expedire suis, intercludere hostibus: bellum modò urgere celeriter, modò salubriter trahere; hostium vires nunc apertâ vi lacessere, nunc eludere occultis artibus, nunc cunctatione ipsâ et morâ frangere. Quid multa? Vivido mentis impetu non desiderante indocilem usûs disciplinam, brevi magistros ipsos superavit: ita ut veterani illi plurium palmarum duces, qui sub galeâ canuerant, nihil soliti ampliùs in arte bellicâ mirari, propter familiarem bellandi usum et quotidianam

assuetudinem vincendi, stuperent in juvene imperatore; ejusque in deliberando maturitatem, in capiendis consiliis prudentiam, in agendo celeritatem admirantes, agnoscerent alium esse profectò magistrum à quo ista didicisset, ipsum scilicet exercituum Deum, qui doceret manus ejus ad prælium, et digitos ad bellum.

Sufficeret alteri ad immortalitatem nominis vel prima Ludovici expeditio, quâ hinc munitissima Flandriæ oppida, indè Sequanicam omnem provinciam uno velut impetu rapuit. At fuêre istæc tantummodò victoriarum primitiæ, et quædam veluti præludia triumphandi, quibus visus est novitius bellator tentare adhuc inexpertam vim dexteræ fulminantis, et attonitæ ac paventi Europæ dominatorem suum ostendere.

Sensit non multò post totas bellatoris justè irritati vires, et ad promptam ultionem ruentis Batavia, cùm præeunte Ludovici currum famâ ac terrore nominis, celeremque ipsius impetum vix assequi valente totis alis Victoriâ, à domitis non ponte, sed Gallorum virtute et audaciâ, Rheni gurgitibus, visa sunt quasi ad unum clangorem buccinæ reserari portæ urbium, procumbere aggeres, ruere mœnia, dissipari exercitus, subitisque nec opinis cladibus consternatæ gentes metuendum victorem ultimis malè tutæ oppidis expectare. Actum erat prorsùs de Batavis, nisi clementia regis quàm ira fortior, veluti frænum injecisset victoriæ, detractisque Ludovico armis, grande et inauditum anteà toti Europæ spectaculum dedisset, juvenem iratum victorem, spretâ dulcedine vindictæ, quæ nullum agnoscit modum, coercito impetu semper ulteriùs aspirantis victoriæ, in medio triumphorum cursu repentè consistentem;

et, quod omni bellico triumpho clarius est, ipsis quodammodò misericordiæ manibus dearmatum.

Non expectatis à me profectò ut, inclusus tam brevibus angustiis temporis, singulas Ludovici victorias persequar. Lustranda esset, et velut interroganda omnis oppidatim Batavia, cujus nulla non regio testis fuit gallicæ felicitatis ac virtutis, duce Ludovico: peragrandum rursùs omne Belgium, fatalis et perpetua cruenti belli sedes, infelix suâ fertilitate provincia, quam semper alieni aut sui exercitus devorant, at eadem fons perennis et inexhaustus gloriæ Ludovico Magno, cui jam tunc facta quodammodò vectigalis et stipendiaria, amplam triumphorum segetem quotannis suppeditavit.

Sed mihi videtur Ludovicus eminere supra cæteros imperatores non tam incredibili victoriarum numero, quàm novâ prorsùs et inauditâ ante ipsum ratione bellandi. Laxatâ, ut ferè fit, inter muliebrem tutelam, rudimentumque primum puerilis regni, severitate disciplinæ, invaserat paulatim militum animos contumax quædam et stolidè ferox arrogantia, tacitaque dedignatio parendi bellicis legibus. Nullus in castris ordo, nulla legum et ducum auctoritas, nullum imperii pondus: pro his dominabatur audax, et effrenis, et quidlibet impotens aggredi licentia. Militum vim et impetum cives magis quàm hostes metuebant: sociorum agros priùs quàm hostiles nostri devastabant exercitus: pavidi agrestes formidare transitus militum, formidare reditus, cùm seu victi, seu victores reverterentur, ingenita eorum ferocia aut adversis casibus irritata, aut inflata prosperis successibus, metuenda pariter miseris civibus foret.

Hanc licentiam Ludovicus statim imperatoriâ auc-

toritate compressit. Restituta est eo jubente disciplinæ severitas, ducibus auctoritas, bellicis legibus antiqua vis et reverentia. Docuit militem, hactenùs parere indocilem, ferre patienter obsequii jugum : bella moderatè non minùs quàm fortiter gerere : agris bonisque civium et sociorum tanquam sacris parcere : servare omnem iram et ferociam in ipsum pugnæ tempus, hostibusque tantummodò se non civibus præstare formidabilem. Hoc autem quantæ sit auctoritatis si quis æstimare vult, cogitet secum ipse quid sit exercitus : colluvies quædam et abnormis turba hominum, natione, linguâ, studiis, animis, moribus discordantium : quos inter se conjunxerit non publica salus, non patriæ amor, non cupiditas gloriæ ; sed plerumquè cæca et inconsulta temeritas, præcepsque mentis impetus : apud quos ut plurimùm libido et avaritia multò magis valeant quàm religio et pudor : ejusmodi homines, præsertim jam inescatos expertâ dulcedine libertatis, coercere subitò intra exiguos officii limites, et certis quibusdam legibus astringere, hoc est esse imperatorem.

Quid ! arcanum illud et silentium capiendis belli consiliis à Ludovico Magno inductum, quantam imperatoriæ prudentiæ vim reique bellicæ peritiam declarat! Cùm rei gerendæ tempus adventat, strepunt omnia metuendo belli apparatu, armantur classes, commeatus expediuntur, instruuntur bellica tormenta, copiæ hinc indè transferuntur, fit ingens strepitus et fragor, stant arrecti omnium oculi animique : at latet intùs inclusa in unius capite Ludovici occulta vis quâ hæc omnia moventur. Ac quemadmodum in corpore humano oculi, manus, pedes, singula membra, totius ignara consilii, suum quæque ministerium jussa obeunt ad nutum imperantis

animi: sic in vasto totius regni corpore, cuncta latè, veluti quædam anima, movet ac regit Ludovicus, singulosque operi destinato applicans, clausus ipse et impenetrabilis, sibi uni servat totius rei ductum et regimen, cæteris relinquit tantummodò obsequii gloriam.

At quid prodesset belli consilia tam occultè et prudenter ducere, nisi Gallos suos docuisset eadem celeriter exequi. Moveri solebant omnia priùs tardo molimine: ægrè commeatus expediri; deficere plerumquè stipendia; serò proficisci milites: ita in ipso conatu rerum circumagebat se annus. Ut cœpit Ludovicus gallicas res per se ipse administrare, usus acri et vividâ Gallorum indole, insitam genti celeritatem novis ipse gloriæ stimulis excitavit. Ex illo cœpta sunt omnia incredibili quodam impetu et rapiditate ferri. Dictâ die prompta parataque omnia, miles, tribunus, dux, imperator: nec stipendia et commeatus expectari, sed præcurrere.

Tali celeritate bella gerentem sola tempestatum iniquitas morari poterat; sed quælibet Ludovico tempestas opportuna ad vincendum facta est. Frigoris ipse pariter et caloris patiens, omniumque temporum bellator, assuefecit militem in opere ac labore nivibus pruinisque obrutum durare, ne hiemis quidem spatio, quæ omnium bellorum terrâ marique sit quies, arma deponentem. Turpe scilicet existimavit venandi studio ac voluptate homines per nives ac pruinas in aspera montium ac sylvarum rapi: belli necessitatibus eam patientiam non adhiberi, quam vel lusus ac voluptas elicere solet: suosque milites odore et metu propinqui frigoris exanimatos, tanquam æstivas aves, statim autumno tecta ac recessum circumspicere. Et hinc extitit terror ille nominis nostri, ut

exercitum Gallorum, cujus olim si qua urbs primum illum brevissimi temporis sustinere potuisset impetum, nihil deindè sibi timendum arbitraretur, jam non tædium oppugnationis, non vis hiemis, non æstatis immodicus calor, ab urbe circumsessâ semel amovere possit: nec finem alium belli duce Ludovico quàm victoriam noverit, nec impetu potiùs bella quàm perseverantiâ gerat.

Habetis, auditores, Ludovici in arte imperatoriâ juventutem, incredibili victoriarum numero, et omni genere bellicarum virtutum feliciter expertam. Qualis igitur debet esse ejusdem nunc maturitas, cùm totas vires insolito nisu quasi recolligens tot hostes unus sustinet. Etenim sparsum anteà, si fas ita loqui, per singula bella Ludovicum, licet totum, quantuscumque est, hoc præsenti bello intueri.

Nunquàm anteà Galliæ nostræ, quanquam horridis sæpè bellorum procellis conflictata est, tam atrox, tam dira tempestas incubuit. Tota ferè in nos armata subitò et suis quasi convulsa sedibus Europa; Angli, Batavi, Germani, Hispani, Allobroges, et quæ non contra nos excita gens? post posita religionis causa effrenatæ ambitioni unius hominis regnare per fas ac nefas furentis: relictæ alibi spes certissimæ, deserta facilis et ultrò se offerens victoria; dimissi, proh pudor! dimissi è manibus hostes christiani nominis, jamjam ex Europâ in æternum ejiciendi: tantus Galliam invadendi furor, tanta perdendi nos aut pereundi rabies hostium animos occupavit.

Quid inter hæc Ludovicus? sæviente circa Galliam suam undique tam horribili procellâ, deficiente passim sociorum et affinium regum fide, ruptis hostium perfidiâ fœderibus, destitutus omni spe hu-

manâ, unius Dei præsidio, cujus causam tuetur, satis contra universos munitus ac ferox, suâque se, ut ita dicam, virtute et constantiâ involvens, non solùm contra ingruentem procellam firmus immotusque stat; sed etiam in ipsos hostes retorquet eorum minas, omnemque belli terrorem et cladem longè in hostiles terras transportat.

Quis annus indè, quis locus, quod flumen non fuit multiplici Gallorum victoriâ nobilitatum, seu per duces absens Ludovicus, seu per se ipse bella gesserit? Hæc est enim quàm rara et infrequens apud cæteros reges, tam Ludovico singularis et propria laus, quanquam excellentes administros aut nactus sit feliciter, aut sibi ipse finxerit, non conquiescere in eorum labore et vigilantiâ; sed revocare ad se omnia, opem consiliumque à se uno mutuari, per seipsum cuncta regere, et in administrando bello alienis quidem manibus, at suo unius capite et consilio uti. Et certè hæc immensa præsentis belli moles in quem alium incumbit? Nonne hanc solus mente, consilio, providentiâ sustinet, totius operis ipse dux, auctor, consiliarius, administer.

Quotiescumque igitur alicujus victoriæ felix nuntius aures nostras verberat, quoties audimus ad Rhenum, ad Sabim, ad Padum fusos fugatosque hostes, aut expugnatâ munitissima oppida, debemus statim convertere oculos animumque ad Versalianas ædes, undè erumpunt fulmina, quibus hostes longè latèque diversis in partibus atteruntur. Quanquam enim ob amœnitatem loci et superbarum ædium plusquàm regalem magnificentiam videri possit istud domicilium pacis, potest etiam meritò vocari quædam officina belli. Ibi Ludovicus pugnarum tempus, locum, modum designat; indè, tanquam

ex arce quâdam et speculâ, hostium conatus prospicit, consilia dissipat, occultas fraudes eludit : indè suis militibus audaciam, hostibus terrorem injicit.

Qui sic in umbrâ et otio bellum absens administrat feliciter, quid ipse præsens non efficiat ! Nunc erumpens derepentè Versalanis ex ædibus, tremefactâ omni Europâ ad minimum Ludovici motum, suspensis omnium animis expectatione rei, singulisque, ut est humana mens regum consilia rimari curiosè sagax, conjectare nitentibus quam in partem detonare debeat procella belli, tacitèque suam victori prædam destinantibus, ipse sibi uni captæ deliberationis conscius, hostiumque pariter et civium fallens opinionem, securæ nec opinanti subitus regioni ingruit, urbemque defensam arte, naturâ, situ, munitionibus, visamque hactenùs inexpugnabilem, paucorum dierum impetu rapit.

Nunc idem, ne possit meritò conqueri dux ille hostium cautissimus, cùm ad omnia ipse raptim isset, ubi Gallorum arma concrepuissent, nulli tamen se rei in tempore occurrisse, et rapientem omnia ex oculis elusisse conatus suos nimiam celeritatem Gallorum ; Ludovicus eventuum securus multò antè denunciat urbem à se oppugnandam ; profectusque dicto tempore, postquàm arausicanus princeps diù nequicquam minitabundus et ferox, variisque ludificationibus tempus trahens, castris quidem nostris, sed interjecto flumine, observâsset stipatus centenis hominum millibus, scilicet ad hauriendam propiùs oculis suis et cum pluribus testibus ignominiam suam ; tandem Ludovicus, diù luctatus contra conjuratos imbres et ventos, invectamque alieno tempore hiemem, tempestatum hostiumque victor, voto potitur.

Ejusmodi principem, cujus traducta omnis ætas bellando ac vincendo est, in quo certant cum deliberandi prudentiâ celeritas exequendi, cum animi impetu judicii maturitas, cum virtute fortuna, cum felicitate moderatio; ejusmodi, inquam, principem venturis ætatibus ad exemplar summi imperatoris propositum esse nemo non fateatur. Bellicas tamen hasce virtutes parvi faciendas arbitrarer, nisi easdem Ludovicus christianâ pietate ac religione consecrâsset. Quod ego dùm alterâ hujus orationis parte breviter demonstro, eâdem me, quæso, quâ fecistis hactenùs, attentione et benevolentiâ sublevate.

Quantuscumque sit triumphorum reique bellicæ strepitus ac fragor, quantumvis ad pompam illustres ac magnifici bellatoris victorisque tituli; nisi tamen iis subsit solida ac verè christiana pietas, quâ tanquam radice ac fundamento nitantur, brevi dissipetur ac ruat necesse est superbum illud militaris gloriæ velut ædificium, quod plerùmquè insatiabili tantummodò principum ambitione sustinetur. Enimverò tollatur ab imperatore christiana pietas, omnis ab eo vera laus tollitur. Sine hâc fortitudo bellica, ferocitas est; audacia in periculis, temeritas; mortis contemptus, occæcati animi furor; cupiditas vincendi, cruenta et execrabilis gloriæ fames; victoria denique ipsa, nihil aliud quàm crudelis carnificina hominum, et plusquàm ferina barbaries. At eadem hæc omnia pietas ac religio quodammodò consecrat. Scilicet regnantum maxima est, aut potiùs unica laus, regiam auctoritatem, quantacumque est, famulam et obsequentem præstare Deo, qui pro summo suo in mortales imperio principum armis et opibus seu volentium, seu invitorum, ad sua

consilia semper utitur. Cæteris hominibus, qui privatæ et obscuræ vitæ silentio continentur, sufficit, ut ita dicam, vulgaris et privata pietas. At reges, qui suâ conditione supra cæterorum capita mortalium longè sublimes extant, debent magnificè, et, si fas ita loqui, regaliter Deum colere. Id autem non possunt meliùs facere, quàm si vim omnem suam, potestatem, opesque adhibeant, non ad saturandam ambitionem, non ad explendam gloriæ aut vindictæ sitim, sed ad promovendum Dei cultum, et tuendam ejus sanctissimam religionem.

Hoc sibi Ludovicus peculiariter destinatum opus judicavit, ad quod cætera prorsùs omnia quæcumque gereret, bella, victoriæ, triumphi spectare deberent. Existimavit se ardentissimis populorum precibus totiusque Galliæ votis fuisse divinitùs concessum, ut in hoc florentissimo regno, quo nullum in terris illustrius domicilium habet christiana religio, invectam superiorum calamitate temporum hæresim penitùs extirparet.

Arduum sanè et audax consilium, auditores, sed Ludovici pietate dignissimum. Versabantur nobiscum intra ejusdem regni limites, in iisdem urbibus, sub iisdem tectis homines, si non studio et voluntate à nobis alieni, certè opinionibus et religione abhorrentes. Habebant suos sibi doctores, sua templa, suas cærimonias: quasi verò posset Christus dividi! Insidebant altè in eorum mentibus, etiamsi ipsi fortassè non intelligerent, æterna discordiarum semina. Quidquid enim fremant hæreseos propugnatores ac vindices, hujus ingenium est (loquor de hæresi ipsâ, fratribus nostris parco), hujus ingenium est homines in Deum, cives in regem armare. Pascitur illa cruore ac cædibus, rebellione gaudet, impietate

delectatur. Talibus præceptis instituti, ab ipsâ infantiâ pravis imbuti opinionibus, prætereâ delusi miserabiliter perfidis artibus suorum doctorum, hoc est latentium sub pastoris habitu luporum, quid mirum si tantâ pertinaciâ suos errores tuerentur?

Opus erat deleri, et ipso usu quasi deteri præceptas opiniones; dissipari sensim et evanescere erroris tenebras, quas miserorum mentibus vel infelix nascendi conditio inseverat, vel infuderat doctorum maligna fraus; deperdi et exui præposterum illum tandiù deceptos se fatendi pudorem; tractu temporis defervescere æstus animorum, ipsiusque tandem veritatis viribus flecti ac frangi contumacem nonnullorum superbiam.

Id aggredi ausus est Ludovicus. Cæco impetu ruentes in certam perniciem salutari dextra sustinuit. Aberrantes à recto itinere in relictam patrum viam compulit. Aversantibus lucem, et in suas sese tenebras magis ac magis immergentibus tam propè veritatis faces admovit, ut invitis ac repugnantibus oculis lucem veritatis haurire cogerentur.

Et hoc est omnium, quæ unquàm in vitâ confeceris, Ludovice, maximum; immò hoc unicum opus tuum, christianissime imperator, quod tu præ cæteris amplecti debes, quod nos præcipuè admirari, quod sola poterit, ut fas est, celebrare posteritas. Nondùm enim nos possumus benè æstimare et metiri totam hâc in re Ludovici gloriam. Similis est illa quibusdam picturis, quæ si propiùs stes, paulùm confusæ apparent ac turbidæ. Nescio enim quomodò hujusce rei splendor quibusdam velut nebulis præsentium bellorum adhuc obscuratur. Necesse est igitur ad judicandum rectè de hoc præclaro Ludovici facinore, secedere animo paulisper in futurum

tempus, et quasi in longinquam ætatem removere se. Necesse est huic, quâ nunc violenter succutimur, bellorum procellæ ac tempestati successerit pacis serenitas et quies. Tunc revocatis in unum ovile dispersis anteà miserè gregibus, reversis in gremium unicæ matris Ecclesiæ filiis, à cujus, heu! nequicquam plorantis sinu plurimos infelix error avulserat; tunc, inquam, plenâ in luce conspicietur Ludovici gloria, præsertim cùm recurret animo nefandam pestem hæresim, natam inter seditiones ac rebellionem: saginatam (pudet referre) ipso cruore civium: templorum et altarium ruinis superextructam: corroboratam longâ impunitate et licentiâ: plurimorum regum irritis semper conatibus hactenùs lacessitam; tandem velut uno Ludovici nutu et imperio, ineruentâ vi edictorum, è Galliæ nostræ finibus fuisse aliquandò exterminatam.

Nihil minùs expectari poterat à Ludovico plenam auctoritatem tot bellis ac triumphis adepto, cujus olim adhuc juvenis tenera pietas rem, frustrà quoque tentatam à cunctis ante ipsum regibus, ausa tamen aggredi, tam feliciter confecerat. Rabiem duellorum intelligo, quæ sic insita gallicæ nobilitati erat, sic inveterata penitùs in gente ac dominans, nullis ut legum vinculis coerceri posse videretur. Coercuit tamen Ludovicus jam tùm propositi tenax; nobilesque falsis dedocens uti vocibus, vetuit animæ malè prodigos verum honorem ponere in crudeli ferociâ mutuisque cædibus, et debitum patriæ ac principi sanguinem privatis odiis ac rixis perdere.

Qui civium saluti paternâ caritate consuluit, non fuit divinæ gloriæ negligens. Pietatis suæ duxit esse divi Ludovici hæres successorque dignissimus, impiam et sacrilegam jurandi consuetudinem omni

acerbitate pœnarum comprimere. Staret nunc sua delubris apud nos auctoritas, et sacris reverentia, si penès optimam Ludovici voluntatem et pia edicta stetisset (neque enim hâc parte laboranti religioni defuit): nec quotidiè sacrarum ædium impunè violata sanctitas, et sub ipsius, ut ita dicam, religionis oculis indignè profanata, publicam bonorum omnium indignationem, et insuper cœlestem in nos iram concitaret.

Non fuit ille mutâ edictorum auctoritate contentus ad excitandum pietatis studium: accessit exemplorum viva vox et efficax: nec dubito, si aulâ exuere indolem, si mutare ingenium, si christiana fieri posset (absit verbo injuria, nec dictum sit in homines verè christianos, quibus illa etiam abundat, et in mediâ aulâ minimè aulicos), non dubito quin id nostris temporibus regis exemplo contigisset. Saltem neglecta plerumquè in his locis et irrita virtus audet jam se ostendere, immò sola dominatur: cogiturque ipsum vitium, cùm grassari ad honores cupit, pietatis vultum aut potiùs larvam assumere.

Nec miror tantum pietati ac religioni à Ludovico tribui, quibus unis intelligit deberi victorias omnes suas, et illam ante ipsum inauditam regnandi felicitatem, seriemque triumphorum nullis ferè bellicis cladibus interruptam.

Deesset tamen aliquid summæ Ludovici gloriæ, auditores, si fortunata semper fuisset ista pietas, nec ullis probata et experta privatis doloribus et incommodis. Terreret me, fidei oculis res intuentem, tam longa, tam constans Ludovici prosperitas. Quò magis in tuto intuerer bellicam ejus laudem ac famam, hoc magis tacitè mecum ipse tremerem an-

xius et sollicitus de æternâ ejus salute ac gloriâ. Neque enim reges exemi Deus ab illâ communi lege, et omnibus hominibus, qui salvi fieri volunt, impositâ necessitate patiendi. Immò nemini magis necessaria est ac salubris ista lex quàm regibus.

Abundat aula scilicet, etiam religiosorum maximè principum, quibuslibet cupiditatum illecebris et irritamentis, quibus quàm difficile est ne vel ipsa virtus sopita conniveat! Confluunt ad eos undique etiam invitos et reluctantes, et velut irrumpunt laudes, honores, applausus: quorum dulce et leniter se insinuans venenum inebriatis mentibus quamdam inducit humanæ mortalitatis oblivionem. Omnes ad eos aditus plerumquè obvallatos tenet et obsessos periculosa siren adulatio, cujus inter blandas et illecebrosas voces quantula relinquitur ad principum aures via blandiri nesciæ veritati, nisi per se ipse ad eorum cor loquatur Deus. Loquitur autem efficacissimè per morbos et ægrotationes; quas qui moderatè patienterque sustinet, is verè fortis suique rex haberi potest.

Talem fuisse Ludovicum nunquàm non recordabitur Gallia, quæ ægrotante optimo parente suo ipsa vehementer ægrotans, metuque orbitatis icta, subito et improviso dolore penè exanimata est. Qui inter ancipites Martis casus multa sæpè dederat bellicæ fortitudinis documenta intrepidus imperator, tunc invictus quoque inter acerbissimos dolorum aculeos christianus miles, egregia dedit patientiæ documenta, paratus in quemlibet eventum, et ab uno Deo salutem expectans suam.

Et verò restitutâ sanitate venit illicò pius rex solemnes gratiarum actiones redditurus supremo vitæ necisque arbitro, qui mortificat et vivificat, qui de-

ducit ad inferos et reducit. Fuit ille veluti quidam natalis Ludovico dies, triumphisque omnibus anteactis longè illustrior, cùm inter obvias salutationes et effusa studia gratulabundæ plebis, positâ quodammodò majestate regiâ, sine ullo satellitio, tanquam cinctus numerosâ familiâ bonus pater, fruendum se ultrò civium oculis avidisque aspectibus præbens, fruensque ipse suaviter amore in se incredibili populorum, processit è templo ad publicas urbis ædes, civium splendidus conviva. Fuit ille etiam vobis, illustrissime præfecte, ac clarissimi proceres urbis, fuit ille vobis ac vestris decessoribus amplissimus ad gloriam, ad recordationem verò jucundissimus dies: nec dubito, quin modò inter colligenda populorum dona locus ipse vos admoneret regiæ ac paternæ Ludovici erga nos caritatis, eaque recordatio vestram diligentiam novis stimulis excitaret. Debentur vobis publicæ gratiarum actiones, quorum fide, labore, vigilantiâ munus illud civium, quod è suis opibus ad sustinendas publicas necessitates contulerunt, totum ac sine ullo intertrimento ad regias gazas perveniet: nihil indè decurtabunt, nihil intercipient avidæ manus quorumdam hominum, quibus nihil satis est.

Faxit tantummodò Deus, ut ad colligendum ejusmodi munus non ampliùs, aut saltem non sæpiùs opera vestra desideretur; possitque, iterùm donatâ pace Europæ, Ludovicus impendere in posterum curas omnes suas procurandæ populorum felicitati, id quod et illorum pietas ac fides in principem certè meretur, et paterna in populos Ludovici caritas jamdudùm ardentissimis votis exoptat, nec, ut speramus, irritis. Quanquam enim nullus tunc belli finis appareat, quanquam humanæ providentiæ

clausa et abrupta omnia videantur, nihilominùs sperandum est. Qui ex ipso tempestatum sinu serenitatem educit Deus, qui tumentes pelagi fluctus repentè sedat, poterit idem, cùm volet, subitò componere furentium populorum æstus, et has bellorum procellas in altam pacem ac tranquillitatem convertere. Habemus autem obsides et pignora optimæ ejus erga nos voluntatis, quæcumque hactenùs pro Galliâ nostrâ fecit, quæ si nobis certam spem et fiduciam in posterum non afferunt, similes sumus infidelibus illis Judæis, quorum dura cervix et suspicax incredulitas nullis miraculis flecti poterat. Tanget profectò divinam misericordiam Ludovici virtus tuendæ regum et religionis majestati totum se devoventis: tangent repetita toties populorum vota, totius Ecclesiæ preces, imprimis verò ardens et sincera pietas sanctissimi pontificis, quem nunc vicarium suî Christus in terris habet. Ejus lacrymæ, fides, sanctitas certè ab irato Deo pacem extorquebunt. Quid enim non impetret ejusmodi pontifex, sub quo renasci videntur prisca florentis Ecclesiæ, tempora! Neque enim hujus ætatis ac seculi sunt, quas in eo virtutes totus orbis miratur: recisa penitùs et sacrarum legum coercita vinculis famelica nepotum ambitio: abolitus mos pretio vendendi dignitates ac munera, quæ non debent esse aliter quàm virtute venalia: injectum frementi nequicquam luxui et rectum ordinem evaganti licentiæ frenum: repressus alcæ furor: restituta veteri disciplinæ prisca vis et auctoritas: substituti nepotum loco Christi membra pauperes, translatique è suis latebris in superbas pontificum domos, et ejusdem Christi vicario domestici quodammodò ac penè dicam contubernales facti: destinati ad sublevandam eorum

paupertatem amplissimi reditus, quos luxui, avaritiæ, ambitioni subtraxit: denique extructum illud sibi propriis penè manibus sepulcrum, cujus conspectu animatus venerabilis senex, metuque mortalitatis suæ quodammodò festinans, videtur urgere pia consilia tam celeriter et in paucos annos plurium opera seculorum congerere. Dixi.

ORATIO ALTERA

IN LAUDEM LUDOVICI MAGNI,

Habita die 4 maii 1696.

Si ex communi opinione vulgi et plurimorum judicio æstimanda regum gloria est, auditores, nulla eorum magis solida laus, clariorve ad famam commendatio videbitur, quàm quæ ex imperatoriis virtutibus facinoribusque bellicis efflorescit. Inest in illo bellorum fragore et strepitu nescio quid, quod imperatorum ambitioni suavissimè blandiatur. Pulchrum videtur, atque etiam quodammodò humanâ conditione majus, supra cæterorum capita tam insigniter eminere; esse unum in exercitu penè innumerabili, è cujus imperio et nutu reliqui omnes pendeant; ingenitam cunctis dominandi libidinem supremâ cum auctoritate exercere, ita ut omnium vitæ necisque sis arbiter; circumferre huc et illuc pro arbitrio centena et ampliùs hominum millia; orbem latè universum implere famâ ac terrore nominis sui; conjuratas hostium vires, urbium validissimarum munimenta, regum æmulorum potentiam, ipsam quoque tempestatum et naturæ vim domando vincere ac frangere; hæc, iterùm dicam, supra humanæ conditionis sortem regum et imperatorum fortunam constituere videntur.

At si rem introspicere penitùs, eamque non opinionis humanæ, quæ plerumquè vana, mendaxque est, sed incorruptæ veritatis judicio expendere vo-

luerimus, fateamur necesse est laudem eam quæ ex victoriis et triumphis existit, quanquam præclara sit, omnium tamen esse procul dubio levissimam, atque ejusmodi, quàm ab optimis principibus minùs ambiri oporteat.

Scilicet lætis illis applausibus quibus eorum triumphus celebratur, obstrepunt semper tacitè et velut transversi incurrunt clamores fletusque miserorum. Dùm illis arcus triumphales populorum grata pietas erigit, suus ipsis in populos amor ante oculos exhibet vastatas incendiis domos, stratas aggerum et turrium ruinis urbes, desolatas ferro et igne provincias, totque millia innocuorum civium, quos ineluctabili necessitate belli calamitas afflixit immerentes. Ita triste istud spectaculum, quod medios inter triumphorum apparatus animis principum intùs obversatur, mœrore et luctu alterius spectaculi lætitiam omnem intercipit.

Quænam est igitur vera et maximè solida principum gloria? Omne robur et pondus regiæ auctoritatis adhibere ad compescenda quædam publica vitia; magnificentiam ostentare suam in ejusmodi operibus, quæ ad publicam utilitatem pertineant; curas omnes suas et vires impendere promovendo cultui divini numinis; denique afflictæ et jacenti calamitosorum regum fortunæ fortiter succurrere. Hæc præclara, hæc magnifica, hæc regiâ majestate digna sunt consilia: indè nascitur vera et solida regnantûm gloria, non illa quidem quæ posita sit in incertâ opinione vulgi, et vanâ adulatione populorum, sed quæ apud Deum pariter et homines firma et stabilis ipsâ veritate nititur, nullâque potest calamitate temporum ipsis extorqueri. Hæc in Ludovico Magno laudanda hodiè aggredior. Anno

superiore vitam regis christianissimi ferè universam complexus, statui hodiernæ orationi breviores terminos circumscribere. Pauca igitur tantummodò facta excerpam ex omni illius vitâ; sed quæ eum regem maximè declarant, sicque sunt unius Ludovici propria, ut nemini præter ipsum conveniant. Quæ dùm ego uno tractu et tenore, sine ullâ partitionis morâ, breviter et simpliciter exponam, quæso me dicentem vestra humanitate sublevetis.

Prima hæc fuit regnantis Ludovici gloria atque haud scio an maxima omnium, compressus duellorum furor. Grassabatur impunè per nobilium domos intestina quædam rabies cædis et cruoris avida, quam comprimere nulla legum auctoritas poterat. Sive hanc animi feritatem traxerat gallica juventus ab horridis illis bellicosisque gentibus, undè fertur duxisse originem suam; sive, ut ferè accidit, optimas quasque res corrumpi tractu ipso temporis, insita Gallorum animis veræ gloriæ cupiditas paulatim in hanc rabiem degeneraverat; sive potiùs fatales erant istæ velut reliquiæ civilium bellorum, quibus concussa tandiù Gallia est; pervaserat iste morbus omnium nobilium animos, et in ipsis Gallorum quasi visceribus ac medullis penitùs hærebat. Quæ maxima habentur inter homines necessitudinum vincula, patriæ dulcedo, caritas amicitiæ, affinitatis propinquitas, naturæ sanguinisque conjunctio, parentum ac liberorum pignora, ipsa etiam innata cunctis hominibus, quamque omnium postremam nec nisi cum ipsâ vitâ exuimus, vivendi cupiditas; hæc omnia contra hujus monstri furorem et impetum infirmi obices erant: adeò invaluerat latè receptus per populos, et in hâc præsertim Galliâ dominans ferus ille mos de mini

mis rebus levioribusque rixis per vulnera, et sanguinem, et mutuas cædes, decernendi. Tentaverant plurimi reges huic crudeli carnificinæ civium obsistere, sed irritis semper conatibus. Invalida legum auxilia, spretusque principis nutus, morbi vim tantùm et dominationis imbecillitatem nudaverant. Ferocior indè licentia; atque insolentiùs sese efferens, sicut fera bestia ipsis irritata vinculis, deindè emissa.

In hoc statu rerum quid agat Ludovicus? Nulla res fortassè unquàm fuit magis anceps et lubrica, et in plura difficultatum incommoda incurrens. Si timida consilia et segnem prudentiam audiat; quædam sunt prævalida, et, ut ita dicam, adulta vitia, quibus patienter connivere satius est, quàm temerè lacessitis vim novam addere. An ille adhuc regnandi rudis et imperii inexpertus speraret id assequi, quod plurimorum ante regum frustrà tentâsset corroborata auctoritas? Insanabilem profectò hunc esse morbum, nec remediis præsertim violentis exacerbari oportere.

Longè aliter sensit Ludovicus. Propositi consilii necessitatem simul et magnitudinem complexus animo, cunctisque sapienter et maturè libratis, rem juvenili penè audaciâ, at simul prudentia senili aggreditur, quasi vellet hoc primo actu quid posset imperandi vis experiri. Et vero potest omnia regum auctoritas armata pœnis et præmiis apud aulicos et nobiles, plerumquè ambitiosos, et quorum omnis fortuna pendeat è nutu principis, præsertim si res justa ac legitima imperetur, adsitque imperanti immobiliter constans animus et propositi tenax.

Talis hâc in re Ludovicus fuit: talis quoque susceptæ rei eventus. Cessit severis fracta legibus quamlibet dura et pervicax animorum obstinatio. Vanam

gloriæ opinionem duellis affinxerat impotens hominum furor, pravæque consuetudinis imperiosa lex; veram iisdem ignominiam addidit sapiens Ludovici providentia. Principis aversa mens, clausus in omnem vitam ad honores aditus, exilium, carcer, supplicii infamia, inustum etiam mortuorum nomini dedecus; hæc fuit proposita duello merces. Frustrà opponuntur præclara avorum nomina, natalium splendor, navata plurimis in bellis fideliter opera, cognatorum preces et lacrymæ, dignusque veniâ juventutis error delusæ vanâ specie gloriæ; contra hæc omnia benè immansuetus et immisericors Ludovicus opponit surdam et inexorabilem edictorum severitatem.

Quot putatis hâc, si fas ita loqui, piâ crudelitate principis servatas esse regno illustres familias, quas in ipsâ stirpe excisas hæc sæva pestis penitùs extinxisset? Credite, auditores: non tantùm pretiosi sanguinis longa bella exhauriunt, quantùm sæviente duellorum licentiâ cruenta pax absumit. Neque enim grassatur ut plurimùm hæc delicata insanæ gloriæ cupiditas per abjecta et vilia capita, sed insidet in optimo quoque et generosissimo, ipsumque nobilitatis florem depopulatur, hoc est præcipuam spem posteritatis et certissimum imperii columen evertit.

Addite luctuosis juvenum nobilium funeribus desolatas domos, mœrentesque insolabiliter parentes propinquosque occisorum, quos duplici morte extinctos quis potest esse lugendi modus? Spem enim afflictis parentibus et consolationem maximam relinquit casus eorum, qui pro patriâ, pro rege, pro religione pugnantes, immaturâ, sed honestâ morte occubuerunt, mœroremque eis et lacrymas paulatim abstergit non solùm præsens suorum gloria, sed

etiam debita tali morti beata immortalitas. At in hâc dirâ orbitate, quam privati duellorum casus afferunt, ubi juvenem in ipso furoris æstu, spirantem adhuc scelus et vindictam, inimicâ, sæpè etiam amicâ manu confossum, repentina mors frendentem et rabiosum occupat; in hâc, inquam, dirâ orbitate quòcumque te convertas, seu præsens tempus, seu futurum intuearis, nihil non lugubre funestumque apparet, nec quidquam relinquitur miseris parentibus, præter mœrorem in omni reliquâ vitâ sempiternum, et ferè certam salutis suorum desperationem. Agant igitur gratias Ludovico immortales florentissimæ nunc hoc regno familiæ, quas prudens regis severitas ab hoc insanabili luctu et ferè ineluctabili pernicie vindicavit.

Addidit aliud opus pia ejusdem magnificentia ad alendos pauperes invalidosque milites, quod vel unum gloriam Ludovico immortalem possit asserere. Intuetur nunc unusquisque vestrûm animo superbas illas ædes, quas veluti ad spectaculum magnitudinis suæ in ipso reginæ hujusce urbis aditu posuit Ludovicus, ædificiorum amplitudine et situ loci illustres, substructionum magnificentiâ verè regias, novi vero instituti operis prorsùs singulares.

Nullum erat antehac ærumnosæ virtuti perfugium, nullus veluti portus quo se milites ex diutinâ bellorum agitatione reciperent. Fracti annis et vulneribus, truncato corpore, claudi, cæci, debiles, errabant flebili agmine circumferentes miserabiliter per oculos et ora civium paupertatem suam et vulnerum cicatrices, fœda belli præmia.

Providit optimus imperator illorum inopiæ et senectuti paternâ prorsùs caritate. Nec miror intrepi-

dos nunc regnante Ludovico milites, mortique devotos, per arma, per flammas, penè dicam vecordi audaciâ alienatoque à præsentis periculi sensu animo in hostem ac prælia ruere. Redeuntes eos ex bellicis laboribus et periculis manet ampla et magnifica domus, ubi sub tutelâ Ludovici, et quodammodò sub ejus palmarum umbrâ emeriti senes, juvenesque laureati in otio triumphali conquiescunt. In hoc illustri et christiano gallici Martis domicilio regnat alta et secura pax, mirus tamen ordo disciplinæ militaris observatur. Perstrepunt hæc velut suburbana castra continuo armorum strepitu, sed innocenti et incruento: aguntur illic perpetuæ diu noctuque excubiæ; nullius tamen hostis insidias timent, præterquàm interni et domestici: animorum vitia et cupiditates intelligo. Hæc illis unica superest pugna, unica quæritur victoria.

Felicem igitur Ludovici beneficio militum calamitatem, beata vulnera, per quæ sanitas animo redditur! Quid simile poterat illis conferre etiam maximè opulenta et illustris victoria? Inebriati scilicet inani fumo brevis gloriolæ, et quasi saginatæ opimâ prædâ victimæ infelices, proximæ et forsitàn æternæ morti servarentur. Quotus enim quisque est ex illâ penè infinitâ multitudine militum, qui, dùm fortem et fidelem regi navat operam, supremum non penitùs ignoret aut obliviscatur Deum? Deponitur autem, in ipso ferè ingressu piæ domûs, turpis hæc ignorantia religionis et sacrilega Dei oblivio. Post lacessitas temerè mortes in medio æstu et cæco furore prælorum, discunt ibi in ipso beatæ pacis sinu christianam mortem expectare patienter.

Dignum est angelis spectaculum, auditores, intueri ferventem in hâc domo plurimorum militum

pietatem : atque haud scio an famosa illa et illustris pœnitentium solitudo, felix Galliæ angulus, ubi profectò verè, aut nusquam alibi terrarum colitur Deus, majora pietatis exempla suppeditet. Quâcumque diei horâ ingrediare augustum illud supremi exercituum Dei templum, videas tanquam stantes piis in excubiis veteranos centuriones ac milites, prostratos suppliciter ante aras, sine ullâ ostentatione et pompâ, sed tanquam unico teste Deo, lacrymantibus oculis, fixo in terram vultu, immoto corpore, eoque suspiriorum fervore et religionis spiritu, qui etiam ab impiis divini numinis confessionem et reverentiam extorqueat. Juste et misericors Deus, cui nulla vilis anima est, cui nulla hominum benefacta excidunt, imputabis certè Ludovico piam hanc et christianè regiam liberalitatem, quâ tot militum animos ad cultum et amorem sempiterni tui numinis revocavit!

Nec obliviscuntur aut tacent pii milites, cui tranquillitatem suam, cui salutem debeant. Observatur semper eorum animis Ludovicus : Ludovicus eorum semper gratissimo sermone celebratur. Testes, et ut sibi videntur, etiam adjutores ac socii illius gloriæ, enumerant quotidiè suas et Ludovici victorias; imperatoris in se beneficentiam et humanitatem commemorant. Me, inquiunt, saucium recreavit : me prædâ donavit, hoc duce tot oppida cepimus, toties hostem fugavimus : hoc imperatore nunquàm nisi victores ex bello rediimus.

Sileant, si volent, de Ludovico poëtæ : conticescant oratores : quiescant etiam, si libet, periti facta regum venturis servare seculis artifices : meliùs veriùsque rudi et imperitâ militum voce, quàm exquisitissimis orationibus ac carminibus Ludovici nomen

celebrabitur: perenniùs durabit ejus gloria in fidis pectoribus et gratâ ac memori pietate militum, quàm in auro, in ære, in marmore, et pictis ad vivum imaginibus. Militaris illa libertas, unius amica veritatis, promptiorque imperatorum culpas arguere, quàm laudare virtutes, aberit ab omni suspicione adulationis, cujus nos poëtæ et oratores vix fugere possumus opinionem.

Nec erit unius ævi ista Ludovici gloria, aut intermorietur ac concidet cum iis qui nunc istas ædes incolunt. Transmittetur illa fideliter et quasi per manus tradetur ab iis qui nunc sunt ad futuros hujus præclaræ domûs hospites. Qui si fortè de tanto Ludovici in se beneficio sileant, clamabunt ipsi lapides ædificiorum et templi parietes fundatam esse hanc à Ludovico Magno illustrem domum, apertumque hoc illius piâ liberalitate et magnificentiâ miseris militibus asylum, in quo possit illorum senectus non solùm quieta, sed etiam honorata consistere. Quin et gentes exteræ vicinique principes, qui æmulatione Galliæ simile opus aut jam instituerunt, aut venturis ætatibus instituent, tantò quidem amplitudine et magnificentiâ nostro hoc inferius, quantùm ipsi sunt eruntque Ludovico impares, renovabunt illi scilicet et quodammodò cumulabunt Ludovici gloriam, ad quem tanquam auctorem et institutorem præclari operis, et sua et aliorum in milites benefacta pertinebunt.

Si talem Ludovico famam istæ res conciliant, in quibus aliqua tantùm suî parte religio dominatur, qualem igitur eidem gloriam conciliare debet ipsius religionis tutela et amplificatio. Est ferè in vitâ maximi cujusque principis unum aliquid præcipuum

et excellens, quodque præ cæteris extat et eminet, cujus vivax et perennis memoria imperatorum nomen integrum et incolume transfert ad ultimam usque posteritatem. Pleraque eorum alia facinora, quæ iis viventibus mendax adulatio vividis maximè coloribus pinxerat, annos et vetustatem ferre nequeunt. Mentitus ille fulgor aut statim cum ipsis sepulcri nocte extinguitur, aut aliquandiû malè superstes, ipso annorum quasi detritus usu paulatimque extenuatus, tandem aliquandò prorsùs evanescit. Sola religio christianorum heroum nomini velut sigillum immortalitatis imprimit. Viget adhuc apud nos, elapsis tot seculis, Constantini, Theodosii, Caroli Magni, et aliorum ejusmodi principum memoria. Quæso vos, auditores: an expugnata oppida, an fusi fugatique barbarorum exercitus talem illis gloriam asseruerunt? Abolevit ipsa victarum urbium ac gentium nomina edax rerum vetustas, et cuncta devorans oblivio: at inter corruentium undique regnorum fragorem ac ruinam, pepercit sacris laboribus, quos illorum imperatorum christiana pietas et fortitudo suscepit ad stabiliendam aut tuendam divinæ fidei integritatem.

Eadem famæ perennitas Ludovicum manet apud posteros. Multa quidem ille digna immortalitate gessit: erit tamen ipsius propria et præcipua laus, ad quam omnis anteactæ vitæ atque etiam secuturæ deinceps gloria referri debeat, extirpata penitùs è gallico regno hæresis. Enimverò si vultis uno quasi intuitu vitam Ludovici integram percurrere, agnoscetis cuncta quodammodò pertinuisse ad hoc grande, et arduum, et audax consilium. Opus erat ad id aggrediendum invicto animi et imperii robore, quod nulla res neque domi neque foris in ipso conatu re-

rum labefactare posset aut retardare. Sola autem id bella præstare poterant. Sopitæ statim in ipso regnandi exordio, non magis fortitudine quàm sapientiâ, domesticæ et civiles discordiæ, eam auctoritatem Ludovico apud cives mixtam amore, fide et reverentiâ, pepererunt, cui ad nutum prona et subjecta omnia ex illo etiamnùm intuemur. Apud hostes verò, renovatis multoties bellis, domitos semper et subactos constans Ludovici prosperitas, omni genere bellorum feliciter experta, nunc contra singulos, nunc contra universos; modò ad Rhenum, modò ad Sabim, modò ad Mosam; et ubi non? inauditâ hactenùs rapiditate victoriarum illustrata, tantum ejus nominis terrorem sparserat, nullum ut exanimatis ejus conspectu hostibus perfugium, nisi in ejusdem bonitate et clementiâ, superesset.

Sic affectis hostium civiumque animis, supremus rerum arbiter Deus, qui solus novit et dispensat momenta rerum agendarum, graves bellorum procellas repentè sedat ac componit. Venerat tandem, quæsita nequicquam à multis anteà regibus, conficiendæ rei oportunitas. Non sinit Ludovicus effluere istud, heu! nimium breve pacis intervallum. Pium opus urget trepidè et festinanter. Spoliatur primùm error iis juribus ac privilegiis quæ per vim quondam armatus ac rebellis extorserat. Excluditur à conspectu principis, ab aulæ aditu, à dignitatum luce, penè dicam à commercio et societate hominum. Frementi ei nequicquàm ac frendenti imperatur silentium, publici cœtus interdicuntur, eripitur educatio liberorum soli debita veritati. Talibus Ludovici imperiis recreata subitò ac victrix religio incipiebat novâ luce splendescere. Paternæ regis severitati obsecundans pastorum ac præsulum sapiens et moderata lenitas,

novos quotidiè triumphanti Ecclesiæ procreabat, aut potiùs restituebat liberos. Stabant adhuc tamen et alibi passim, et hîc fere sub oculis nostris impia hæreseos templa quasi sub umbrâ et tutelâ nannetensis edicti; et licèt deserta ab suis, licèt tenebris et solitudini et silentio damnata, priscorum tamen memoriâ temporum insultare quodammodò religioni videbantur. Vidimus uno Ludovici nutu, tanquam tubarum clangore et sono, jerichuntina corruere mœnia, ultimamque spem et velut arcem prostratæ et expirantis hæreseos regiâ manu penitùs dissipari.

Consecuta sit atrox et dira tempestas: insurrexerint in nos æmulatione et invidiâ concitatæ gentes: omnis Europa crudeli bello repentè exarserit: cuncta latè regna violento concussa motu fuerint, et suis quasi convulsa sedibus: non miror. Interdùm etiam unius electi causâ Deus, arcanâ occultâque vi, unius, inquam, electi causâ urbes et provincias et imperia susque deque vertit, orbemque concutit universum. Quis igitur mirari aut indignari debeat, si gravissimis bellorum doloribus, et, ut ita dicam, pressuris tot liberos Ecclesiæ Gallia parturierit. Hæc una fortassè bellorum procella poterat suum religioni triumphum, Galliæque pacem ac salutem asserere. Ut ut sit, Ludovico certè novam et raram admodùm laudis materiem suppeditavit, quâ secundùm defensæ religionis gloriam nulla major esse poterat, oppressi et calamitosi regis defensionem ac tutelam.

Hanc Ludovici gloriam si vultis vero æstimare pretio, eamque suæ velut in luce positam intueri, auditores, nolite in his præsentium temporum angustiis et asperitatibus immorari. Revocate paulisper ante oculos vestros illa tempora, quibus primùm ad

aures nostras pervenit fatalis rumor ejecti è solio, per inauditum scelus ac nefas, Britanniæ regis, coactique rursùm fugere per obscura loca, spemque regni ac suam incertis ventorum ac fluctuum procellis credere. Quis tunc nostrûm non arsit dolore? Quis non animo littus Oceani petens tendebat pias manus erranti per fluctus regali familiæ, et simul fugitivæ cum eis ex Angliâ religioni? Quis non cum lacrymis vota ad superos fecit, faverent infelici reginæ ac matri quæ gestabat inter manus grande depositum : faverent tenero infanti, ad quem calamitatis illius etsi nondùm sensus, maxima pars tamen pertinebat : una vox erat, patere illis omnium Gallorum animos et fortunas : patere illis Galliam ; quæ semper fuit portus, receptaculum, asylum, arx tuta, et quædam velut ara miserorum, quo calamitosi principes, regno spoliati reges, ejecti etiam à sua sede romani pontifices sæpè confugerunt.

Nescio quomodò lacrymæ, præsertim in calamitate alienâ, facilè arescunt, affectusque commiserationis, qui apud plebem acriores habet primos impetus, paulatim interpositâ morâ languet et senescit. Non ita est de Ludovico, auditores. Vivit apud eum semper recens, acriorque in dies exurgit conceptus primùm animo dolor in hoc acerbissimo casu vicini regis, nec unquàm, nisi illo in solium suum restituto, deponetur. Turpe est ac nefas, de privatis etiam loquor, turpe ac nefas, ab amico in calamitate deseri. Quid! regum-ne minùs erit sancta fides ac societas? minùs constans et inviolabilis amicitia? Tæderet diuturni belli Ludovicum, cui ipsa religio pia et justa arma induit, cujus fortitudini et dexteræ tutelam regis britannici ipse commisit Deus? Desereret per ignaviam regiæ majes-

tatis defensionem, atque ipsius etiam religionis causam? Ubi igitur illa invicti in periculis animi constantia? Ubi quæ regem et imperatorem decet inconcussa mentis celsitas et magnitudo?

At tardi respondent consiliis eventus. Etiam-ne arbitrio nostro constituemus divinæ misericordiæ diem, intra quem jubeamus quodammodò nobis succurrere? supremoque rerum Domino nos, pulvis et cinis, legem imponemus? Quid igitur, si non tardi solùm, sed etiam infelices et improsperi casus forent? (neque enim semper justa regum consilia fortunat Deus) quid sentiremus? Divo quondam Ludovico ad tuendam religionem, eamque è durâ servitute liberandam, longinquum et barbarum littus petenti, quæ sors, quæ pietatis merces contigit? morbus, pestilentia, vastitas, clades exercitum, carcer, exilium, denique mors. Minor-ne idcircò fuit illius pietas et gloria! Triumphavit hactenùs Gallia, conjuratorumque hostium impetus non solùm fortiter sustinuit, sed illæsa ipsa et incolumis longiùs eos repulit à se, repelletque posteà non minùs feliciter, si spem nostram non in viribus nostris, sed in omnipotentis Dei præsidio ponimus. At, utcumque res cadat, in tuto est Ludovici gloria: neque enim ab incerto et instabili rerum eventu pendet. Tentâsse rem audacter spretis impendentibus periculis, id regiæ fortitudinis erat: eamdem perficere et exequi, unius est divinæ potentiæ. Novit rex christianissimus (atque utinam id esset altius infixum animis nostris!), novit rex christianissimus rerum omnium quæ in terris aguntur, ac præsertim bellorum exitus, penès unicum stare Deum, nec eos ullis hominum consiliis et conatibus vel uno momento præripi posse aut retardari. Nos, ut sumus

rerum impatienter avidi, et præproperè ad eventum festinantes, vix moram ferre possumus.

Atqui habemus ante oculos illustre christianæ patientiæ documentum et exemplar, Britanniæ regem ac reginam, quibus jampridem silentibus ac tacitis, et sævientem in se divinam manum suppliciter adorantibus, hujusce calamitatis tota moles et grave pondus incumbit. *Intelligite, reges, et erudimini, qui judicatis terram.* Fallax aulicorum gratia, fluxa amicorum fides, caduca et fragilis populorum benevolentia. Perbrevi momento temporis hæc omnia regem Angliæ deseruerunt. At quem regem? et cujus causâ? *Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer. Duo mala fecit populus iste.* Dereliquerunt regem (ut sileam bellicas ejus imperatoriasque virtutes), regem mansuetum, pium, facilem, plenum bonitatis et misericordiæ visceribus: iidemque se in servitutem tradiderunt, ut nihil gravius dicam, ambitioso principi, qui per fas ac nefas, per clades exercituum, per calamitates populorum, per totius Europæ excidium ac ruinam ad regale solium grassatur.

Usquequò, Domine, videbimus impium superexaltum et elevatum sicut cædros Libani? Usquequò populus iste duræ cervicis, contra Deum pariter et reges rebellis et ferox impunè gloriabitur? An nondùm completæ sunt iniquitates illorum usque ad præsens tempus? An non clamat ad te de terrâ vox sanguinis, qui in illâ insulâ effusus est? Quem enim regum optimorum non sunt persecuti? Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam: posuerunt carnes sanctorum tuorum bestiis terræ: polluerunt templum sanctum tuum. Insula ista, quondam domus sanctificationis tuæ, ubi laudaverunt te patres

eorum, facta est in abominationem. Confregerunt jugum suum, ruperunt vincula sua; dixerunt: Non serviemus. Numquid super his continebis te, Deus ultionum Domine? Tu qui transfers regna atque constituis; qui subvertis solia regnorum, et das salutem regibus; in cujus manu populorum et regum corda sunt; memento tandem tui istius David, et omnis mansuetudinis ejus. Redeant prævaricatores ad cor (hanc unam de illis ultionem poscimus): sciant et videant quia malum est et amarum talem reliquisse regem: tibique posteà et suis regibus in æternum fideliter serviant.

ORATIO

DE PHILIPPI QUINTI IN REGEM HISPANORUM ADOPTIONE,

Habita die 14 febr. 1701.

Regiæ majestatis fastigium sic extat et eminet supra cæteras mortalium conditiones, ut reges præstans imago supremi numinis, et quidam veluti terrestres dii non immeritò dicantur, auditores ornatissimi. Valent quidem plurimùm, præsertim apud plebis animos omnia ex fulgore æstimantis, nec mediocrem regibus conciliant reverentiam, superbarum ædium splendor, cultûs magnificentia, oris incessusque majestas, prona populorum obsequia, et omnis iste circumfusus illis undique ad pompam et terrorem apparatus. At nobilius quiddam est et longè sublimius, undè veram eorum magnitudinem metiamur. Est illa nobilis quædam portio supremæ potentiæ, derivata ab illo fonte, undè fluit omnis auctoritas, hoc est ab ipso præpotenti Deo, qui jus illud et imperium, quod unus habet per se in mortales, ideò transfert in reges, aut certè cum illis communicat, ut, quo nihil homini præclarius, vicem illi suam in terris quodammodò fungantur. Quemadmodùm igitur ipse suo nutu moderatur omnia in hoc orbe terrarum, et omni genere bonorum cumulat humanum genus; sic illi necesse est in suis singuli regnis summo jure regant omnia, bella et paces administrent, dispensent honores ac munia, legibus vim, magistratibus auctoritatem

concilient, urbium commodis, provinciarum securitati, felicitati populorum paterno animo consulant; imprimis fidem, æquitatem, religionem et ipsi studiosè colant, et in suis regnis florere curent.

Hæc vera regnantis species, vera dignitas, auditores: quæ profectò non convenit nisi iis quos summus regnorum arbiter Deus ipse ad solium evocârit. Nam quos illuc sua protulerit ambitio: qui fraude ac perfidiâ grassati per vim illuc irruperint: quantumlibet honestis nominibus sua consilia tegant, quantumvis fortunati ac florentes hominum oculis fortassè videantur, hos Deus inter vicarios suæ potestatis reges minimè annumerat. Ut enim regiam majestatem legitimis possessoribus nulla vis injuriæ adimere, nulla nec civium perfidia, nec exilii calamitas extorquere valeat: sic eamdem nulla rerum secundarum prosperitas astruere immerentibus potest. Unius est supremi numinis privatas singulorum fortunas ac conditiones, quantò magis regna et imperia pro arbitrio dispensare, portionemque illam suæ auctoritatis pretiosissimam in quas voluerit manus transmittere.

Intelligitis procul dubio, auditores, quò pertineat hæc mea oratio. In hâc subitâ rerum conversione, quam attonita et pavens etiamnùm stupet Europa, quâ nos sic perculsi sumus, nostris ut auribus ipsi atque oculis vixdùm credere audeamus, tam evidens numen rebus gallicis adfuit, ut nemini dubium esse possit, quin serenissimum principem andegavensium ducem in solium Hispaniæ ipsa, ut ita dicam, divina manus extulerit. Non hæc occultis artibus et quasi per cuniculos furtim tentata res; non obscuris molitionibus multò antè præparata; non sagacibus humanæ prudentiæ consiliis ad ma-

turitatem et exitum solerter adducta : sed unius divinæ providentiæ nutu tam celeriter et repentè confecta, priùs ut penè extiterit quàm nos suspicari possemus.

Sinat itaque Ludovici Magni pietas, dùm ego debitum hoc et publicè ab academiâ, et privatim ab hâc domo laudum vectigal persolvere aggrediar regi catholico, cujus spei et studiis ipse admoverat virum rectoriâ tunc purpurâ nitentem, et in hujus palestræ sinu à teneris annis eductum: sinat, inquam, Ludovici Magni pietas hodiè me tam lætos, tam inopinos successus divinæ tantummodò providentiæ gratulari. Qui solet prosperos bellorum eventus, ubi multò magis videntur pollere humana consilia, pro grati animi sensu refundere in auctorem Deum, profectò non ægrè feret nos recentem hanc suam et Galliæ felicitatem uni Deo acceptam referre, nec detractum gloriæ suæ credet, quod divinæ fuerit adscriptum.

Ut autem grande hoc eventum uni divinæ providentiæ attribuam, duo me præsertim movent, quæ totidem constituent hujus orationis capita : difficultates, quæ huic consilio obstabant : humanæ prudentiæ prorsùs insuperabiles; hoc primum : utilitates immensæ quæ indè in Hispaniam pariter et Galliam, atque adeò in ipsam religionem redundant : hoc alterum. Hæc duo me, quantâ fieri poterit brevitate prosequentem, non mediocriter recreabit cùm illustrissimorum Ecclesiæ principum benignitas, tùm imprimis ista tua in nos benevolentia, senatus princeps illustrissime, quæ quod valetudini tuæ, quod quieti tempus denegas, id in audiendis nobis tam benignè impertiit. Qui nihil facere in vitâ soles, nisi summâ officii religione adductus, id

sanè dedisti et tuo in principem obsequio, et pietati in academiam matrem tuam, et singulari studio in hanc bellovacam domum, quæ te patrono, te parente, te domino gloriatur. Visa est sibi illa hodiè fieri subitò quoddam Justitiæ templum, dùm te illius sanctissimum interpretem, custodem, vindicem; dùm tot tecum fidei, integritatis, eloquentiæ lumina intra suos penates accepit. Utinam tantæ audientium dignitati dicentis facultas ut cumque responderet!

Hispanicæ hæreditatis, quanta quanta est, jus pertinere ad stirpem borboniam, si rex Carolus absque liberis decederet, et tacita naturæ lex, et communis gentium consuetudo, et Hispaniæ jurisconsultorum auctoritas, et ipsa hostium confessio, manifestè declarant. At huic quantumvis legitimæ spei nostræ obstare multa videbantur: austriacæ domus innata contra Galliam æmulatio: utriusque populi vetus animorum ac studiorum discordia: cruentis ultimi belli cladibus renovata hinc et hinc odia gentium: florentis Galliæ nostræ invidiosa magnitudo ac potentia: imprimis verò compactum recens fœdus illud, quo vastæ illius hæreditatis, quæ tota ad se pertinebat, levem tantummodò particulam sibi Ludovicus Magnus vindicárat.

Quàm infesta semper et acerba Franciam inter et austriacam domum ambitionis certamina exarserint, præsertim ex illo tempore, cùm utraque paribus succincta studiis et viribus Germaniæ imperio immineret, tot abhinc et per tot annos gesta ad internecionem ferè utriusque populi bella satis superque indicant. Austriaca domus ab sat exiguis profecta initiis, deindè intra breves hæreditariæ ditionis suæ

inclusa terminos, mox felici duplicis matrimonii fœdere hinc Belgio et Burgundiâ, indè apud Hispanias multiplici regnorum dote cumulata : tùm, quasi id parùm foret, comperti recens orbis insuper et novis ditata opibus, et vastis regionibus porrecta in immensum, excreverat in eam magnitudinem, ut totius Europæ imperium affectare non sine justâ forsitàn suspicionis causâ crederetur. Tam formidandæ potentiæ velut æternus obex posita in medio Gallia. Minùs illi quidem vastè patens imperium, sed animorum et roboris non minùs : circumscripta opportunè justis finibus regio, sed bonorum omnium ferax, nec peregrinis indigens opibus. Franciæ verò domûs penè supra fidem antiqua nobilitas, per tot reges uno et perpetuo tenore ducta : par tantæ nobilitati claritudo : invicta bello pariter et pace gloria : animus audax quidlibet aggredi, et quantæcumque fortunæ capax ; potentia in præsens nemini non metuenda, spes in futurum immensa. Has inter totius orbis christiani potentissimas domos, quarum velut æquis librata ponderibus staret Europæ salus ac libertas, quis miretur nunquàm non vehementer arsisse æmulationis stimulos? Quæ spes igitur, si consuleretur humana ratio, assumendorum unquàm è borboniâ stirpe successorum austriacis Hispaniæ regibus ? Privatus quilibet homo ægrè videt moriens absque liberis transferri in alienam domum relictas sibi à majoribus opes, et hâc veluti posteritatis vitâ orbatus, sibi quodammodò videtur bis mori. Quid igitur? Princeps in quo sensus istæ vitæ cujusdam post mortem superstitis multò viget acrior, quippè qui in tantâ fortunâ angustioribus vitæ terminis non contentus in longam posteritatis memoriam se totum extendat ; an ejus-

modi princeps æquo animo patiatur tot provinciarum, tot regnorum possessionem, quæ tamdiù in familiâ suâ hæserit, transire post se immò etiam per se, in ignotas, in alienas, fortè etiam in hostiles manus?

An oblitus suî suorumque rex deponeret moriens istam, quæ tunc maximè reviviscit, æmulationem? an longa et inveterata utriusque gentis dissidia facilè mitescerent? Hispanos à Gallis dirimere videbantur non tam altissima Pyrenæorum montium juga, quàm linguæ, habitûs, morum, studiorumque discensio: vividus Gallorum ardor, impatiens moræ impetus, avida mens imperii, et gloriæ cedere nescia indoles: Hispanorum tarda gravitas, nihil quidquam temerè aut præcipitanter agens, maturè omnia ponderans, veteris fortunæ memor, retinensque ex eâ majestatem et elatos spiritus. In hâc discrepantiâ morum tam dissociabili, quæ poterat unquàm sperari concordia? Ad hæc, imbiberant utrique animis acerba invicem odia, ob residuas veterum bellorum iras, quæ cocta ex longo, et in exacerbatis injuriâ animis penitùs infixa, nullâ fœderum religione placari posse videbantur.

Recentis verò belli calamitatibus quantùm exulcerari potuerint mentes Hispanorum, et antiqua recrudescere odia, facilè intelligitur. Piget nunc, cùm in amicitiam rediimus, immò plusquàm amici ac fratres facti sumus, piget, inquam, meminisse tot cladium quas Hispanis, tunc hostibus, non tam voluntas nostra, quàm armorum cruenta necessitas intulit. Erat hoc illis velut anniversarium fatum, ut statim atque belli suspicio ac tumultus increpuisset, illicò viderent apud Belgium agros suos diripi, urbes incendi, et in se unos omnia belli mala ingru-

ere, cujus in alios verterent commoda. Porrò sceptrum-ne hispanicum traderetur in eas manus, quæ nuper armatæ contra Hispanos, bello lacessitæ quidem, sed tamen acerbissimas iis clades intulerant, et adhuc penè fumabant eorum sanguine?

Præterquàm quòd Hispanos et vetus odium, et ira recens contra nos stimulabat, urebat ipsos etiam Gallicæ felicitatis ac potentiæ fulgor. Jampridem ægrè ferebant nimis vicinas propè se convalescere opes, remque gallicam nimis plus, quàm satis tutum esset accolis crescere. Alebantur isti timores sinistris rumoribus malevolorum hominum, invidiæ flammam ac materiem criminibus in nos suis suggerentium. Ludovicum, ut est humanus animus insatiabilis, eo quod jam antè partum erat, ad altiora et non ferenda tendere: imminere eum totius Europæ imperio: erupturas, præsertim in Hispaniæ perniciem, prævalentis populi vires, nisi crescentem quotidiè tantam in medio molem maturè opprimerent. Ita terriculis gallicæ potestatis Hispanorum animi à Gallis abducebantur.

His tot impedimentis accesserat aliud recens nostrâ et ipsorum voluntate contractum, idque cæteris multò gravius, fœdus illud intelligo, auditores, triplici tergeminæ potestatis vinculo colligatum, cujus conditionibus excludere ipsi nos ab hispanica hæreditate videbamur. Quæ mens vicinarum gentium iu hoc fœdere sanciendo, quod consilium fuerit, curiosiùs rimari, et velut divinando conjicere, neque est instituti nostri, neque hujus temporis. Ut ut sit, constat hoc fœdere, quod Ludovici Magni moderatio ob publicam Europæ pacem ac tranquillitatem acceperat, interdictum nobis videri opimâ et Bor-

boniis legitimè debitâ hæreditate, clausamque Gallis sempiternùm in Hispanias viam.

Quæ vis igitur humani consilii poterat, quæ prudentiæ sagacitas extricare nos ab his angustiis, totque et tantas difficultates tollere? Nulla sanè, auditores, præter vim illam divinæ Providentiæ, cujus potenti lege immobilis rerum humanarum seritur ordo, cujus arcanis consiliis videmus interdùm puncto temporis rerum maximarum momenta verti, contraque spem et opinionem omnium repentinas fieri voluntatum conversiones.

Ac primùm quidem illa, ne quis ferè Carolo regi in el gendo successore superesset respectus ad familiam et sanguinem, sustulit immaturo funere unicum illum principem, bavari ducis filium, breves patris delicias, quem publicus rumor, et intemperantia vulgi, donec unus eligatur, multos destinandi, præcipuum inter cœteros ad solium hispanicum favore tollebat. Stabilierat eadem divina Providentia borboniæ familiæ spem rarâ apud principum domos felicitate, multiplici numero liberorum, quos sensimus in hâc occasione multò firmiora esse imperii munimenta quàm classes et legiones. Restabat evellenda ex animo principis tenera quædam penitùsque infixa pectori in suos indulgentia, et deflectenda molliter ab austriacâ domo in borboniam voluntatis inclinatio. Multùm quidem ad id voluerunt opportuna sapientissimorum hispanici regni administrorum consilia, atque imprimis eminentissimi illius cardinalis, de cujus singulari prudentiâ et tuendæ pacis ac religionis acri studio nulla unquàm posteritatis memoria conticesset. At maximè convellit animum religiosi principis propriùs insidens vicinæ mortis cogitatio, aperientisque jam sese ante

oculos conspectus æternitatis, optimus regum consiliarius. Tunc scilicet, si quis verus inest pietatis ac religionis sensus, velut unico teste et judice Deo res ponderantur. Adhibentur tunc in consilium non privata gratia, non simultas aut odium, non blandè surrepens adulatio : sed jus, sed fides, sed nuda et incorrupta veritas. In hoc igitur temporis articulo rex Carolus extra familiam suam seque ipsum quodammodò avulsus, nec jam nisi publica spectans, non obstrepente ampliùs ullo factionum certamine, cœpit clarè intueri quod anteà non viderat, jus Galliæ inconcussum, undè penderet et Hispaniæ suæ salus, et Europæ tranquillitas, et ipsius regionis conservatio.

Totius Hispaniæ consensum traxit ultima morientis regis voluntas, disponente scilicet intùs animos supremo numine, cujus in manu populorum non minùs quàm regum corda sunt. Vix credibile dictu est quàm celeriter ac repentè, sic dissitæ paulò anteà gentes, velut in unius populi corpus coaluerint. Revixit subitò vetus illa et priscis historiæ monumentis celebrata inter Galliæ et Castelliæ populos animorum consensio. Et certè si voluerimus unusquisque veros et intimos animorum sensus interrogare, reperiemus non penitùs insito et inexpiabili dissidio, sed nescio quâ temporum injuriâ et calamitate bellorum Gallos atque Hispanos tamdiù à se invicem distractos fuisse. Diversi quidem illis mores, et varia studia atque ingenia : sed par apud utrosque animorum candor, morum probitas, virtutis indoles : invicta utrisque erga reges suos fides ac reverentia : erga Deum pietas quasi innata : tuendæ verò religionis penè ultra vires et fidem constantia. Jàm verò crescente quotidiè concordiâ coalescentium in

dies magis populorum, et felici temperamento mixtis utrinque virtutibus, fiet et gallica velocitas Hispanorum tarditate consultior, et hispanica gravitas Gallorum celeritate acrior.

Hanc inter utrasque gentes concordiæ reconciliationem quis crederet emersuram fuisse ex ipso bello, undè nasci solent dissensiones et odia? Id tamen ultimo bello apertè contigit. Ut sunt Hispanorum animi super negotio religionis admodùm delicati ac molles, nulla res magis ipsos antiquitùs à nobis abalienavit, quàm sparsus ex industriâ rumor, scatere Galliam undique Calvini et Lutheri asseclis, foverique passim in illius sinu hæreticos. Vigente pace mentem hanc Ludovico Magno divina Providentia injecerat, ut ad extirpendam penitùs è suo regno hæresim, vires omnes suas et opes impenderet. Merces tantæ pietatis in præsens atrox totius Europæ conjuratio: at hujus ipsius conjurationis et belli fructus, ista pax et subita rerum conversio quam miramur. Stupebant Hispani, cùm tot bella, tot duces, tot exercitus circumstarent undique Galliam, et unum in regnum tota periculi moles, omne onus incubuisset, non modò integram ab hostibus et illibatam stare Galliam, sed novos quotannis triumphos reportare. Cui enim unquàm genti tam propitium fuisse Deum, ut eodem tempore ubique respublica sic prosperè geretur: adversa secundis pensando rem, ut plurimùm solere, extrahi: Gallis nihil non feliciter successisse. En, inquiebant, juncta perperàm religionis hostibus arma damnantes; en fructum et pietatis ipsorum et nostræ cæcitatis. Portus nostros et oppida hæreticis tuenda commisimus: pugnant Galli pro Deo, pro Gallis Deus. Ita Dei præsentis assidua insidens cura, cùm præsidere re-

bus gallicis cœleste numen appareret, eâ pietate Hispanorum animos imbuit, ut qui paulò antè Galliam velut castra in medio posita ad sollicitandam omnium pacem crediderant, subitò in quandam ejus verecundiam adducti, gentem totam in cultum et defensionem religionis versam violari ducerent nefas.

Desiit exindè nostræ potentiæ fulgor perstringere Hispanorum oculos: quæ priùs inter irritamenta invidiæ habebatur gallica magnitudo ac potentia, facta est amicitiæ vinculum. Ut viderunt Ludovicum esse ejusmodi, qui beneficio quàm metu obligare homines mallet, vicinasque gentes fide ac societate junctas habere, quàm tristi subjectas servitio: nec ullum in terris principem dici posse quem minùs quisquam sibi hostem suisque esse velit, aut amicum malit: cœperunt spectare ad gallicas opes, et indè libertatis ac salutis captare auram, undè servitutem et exitium timendo, in eum statum rempublicam adduxerant.

At enim obstabat spei nostræ confectum recens de dividundâ Hispaniâ fœdus. Immò hâc tanquam ultimâ machinâ, si quid adhuc dubitationis superesset, expugnatus Caroli regis animus est, vertente divinâ Providentiâ in nostram utilitatem ipsa etiam impedimenta. Vidit sapientissimus rex actum de Hispania, si ejus regna distraherentur; consilium porrò sibi suppetere nullum aliud, nec ullam opem aliam apparere usquam, præterquàm in Ludovici Magni præsidio. In Gallicæ igitur potestatis fidem moriens Hispaniam suam contulit. Ita Ludovicus Magnus moderationis inauditæ egregiam mercedem accepit, eò jucundiorem, quò minùs speratam. Quæ enim causa potuerat ipsum adducere, ut sponte de

suo jure decedens, tam exiguâ hispanicæ hæreditatis particulâ contentus esset, quam ad ipsum pertinere totam nemo est qui ambigat? Eadem, auditores, quæ paulò ante riswico fœderi locum dederat, publica Europæ tranquillitas et salus. Si enim Ludovico spiritus magni magis quàm utiles, si pluris famam hominum quàm publicam utilitatem fecisset, poterat victoriam quàm pacem malle animus. Eò Gallos et insita gloriæ cupido, et perpetua felicitas, ferociora utraque quàm quietis consiliis opus erat, tacitè impellebant. Revocate paulisper in animum, auditores, tempus illud, quo riswici fœderis conditiones primùm vulgatæ sunt; possumus enim nunc animi sensa palàm et liberè confiteri. Etsi jampridem ceperat nos tædium gravissimi belli, tamen nescio quomodò, sive ob insitam Gallis vincendi cupiditatem, sive potiùs ob amorem ipsum Ludovici, cujus gloria nobis quàm salus nostra clarior, fœdus illud ultimum, et, ut tunc videbatur, non satis decora pax, magis urebat animos, quàm tamdiù experta belli calamitas. Mœsta exindè civitas, mœrentes clam Gallorum animi et vultus: penè diceres victos: haud aliàs incautior populus plus sibi in principem occultæ vocis aut suspicacis silentii permisit. Tulit hoc patienter Ludovicus, neque enim ignorabat: non posuit rumores ante salutem. Contentus tacito conscientiæ suæ testimonio et publicâ utilitate, adjecit quodammodò privatæ famæ curam: passus est ultrò brevem, ut ita dicam, gloriæ suæ jacturam fieri, viditque se aliquandiù apud suorum animos veluti decrescere ac minui. Habet nunc amplam mercedem tua ista singularis, Ludovice, moderatio! adeò spreta in tempore gloria interdùm cumulatior redit, damnumque famæ opportunum

multiplici fœnore compensatur! Ut cruento bello finis tandem aliquandò fieret, Ludovicus aliquot oppida cesserat, quorum firmissimo munimento carere limites nostros ægrè ferebamus: en divina Providentia multiplici non urbium, sed provinciarum vallo munit undique Galliam. Ne rursùm Europa tristi conflictaretur bello, idem remiserat partem maximam sui juris in Hispanias: en tota successio defertur ad ejus serenissimum nepotem, morientis regis testamento, totiusque nationis incredibili consensu. Et quisquam dubitabit superatis tot ac tantis difficultatibus, hanc mutationem esse dexteræ Excelsi?

Restat ut dicamus de præclaris utilitatibus quæ indè in Hispaniam pariter et Galliam redundabunt: et hæc pars erit hujus orationis altera.

Majori nunquàm in periculo fuisse Hispaniam, quàm mortuo absque liberis Carolo rege, nec eamdem spes unquàm spiritusque majores concepisse, quàm assumpto in regem serenissimo duce andegavensi, nemo vestrûm est, auditores, quin facilè intelligat. Periculi magnitudinem satis per se indicat præsens ipse status rerum apud Hispanos, qui quantùm ab illo veteris gloriæ fastigio desciverit, tacere frustrà vellemus. Ipsa magnitudo illis sua oneri fuit, et in detrimentum vertit opulentia. Dùm timent indicas attrectari gazas ab cæteris gentibus, solique compertis recèns auri fodinis avidè incubant, non viderunt, missis in longinqua frequentibus suorum coloniis, ipsam intùs Hispaniam exhauriri viris, quæ veræ sunt opes regnorum. Peregrinæ mox divitiæ, ut plerumquè fit, laboris tædium, otiique consuetudinem invexêre. Emollitæ auro indico ma-

nus, tractandoque ferro minùs jam habiles, armorum pariter et aratri pondus recusârunt. Cœpit apud illos et bellica virtus negligi, et ipsius agriculturæ honos vilescere, quibus tamen duobus præsidiis stat omnis et regnorum gloria, et populorum salus. His accessit, magnum imminentis ruinæ omen, perpetuus ferè in regiâ domo orbitatis metus. Incerto dominorum exitu omittitur cura rerum publicarum, ad privata quisque respicit: spes gentis animique concidunt: decrescit apud socios fides, apud hostes timor, senescitque paulatim cum viribus imperii majestas. Denique, sic inclinatis jam rebus, variæ insuper bellorum calamitates incubuerunt: et quemadmodùm in affecto corpore accidit, ut levior causa magis quàm in valido gravior sentiatur: ita ægræ et affectæ Hispaniæ si vel minima clades ingrueret, lethalem plagam inferebat, non tam ipsâ rerum magnitudine æstimandum, quàm viribus extenuatis, quæ nihil, quod aggravaret, pati possent.

In hoc igitur statu rerum, ubi, etiam vigente pace, vix seipsæ tuerentur hispanicæ res, si mortuo absque liberis Carolo rege, regna Hispaniæ cœpissent à se invicem divelli ac distrahi, si foris bellum atrox ingruisset, si intùs arsissent diversa factionum certamina, id quod aliter fieri vix poterat; quæso vos, auditores, quas in angustias venissent Hispani? Undè ipsis consilia, undè stipendia, undè exercitus ac duces suppeterent? Relicta in medio præda sociis pariter atque hostibus, fortiorum præmium fortassè extitisses Hispania!

Alienæ calamitatis similitudine admoniti, præterita Galliæ pericula meminisse possumus. Tempus illud infaustum intelligo, auditores, quo apud nos ad extrema ventum est, stirpe Valesiorum penitùs

extinctâ ejusmodi facinore, cujus atrocitas si oblivione non potest, perpetuo certè silentio debet obrui. Optimi regis Henrici III funesto interitu consternatæ mentes: repetito tertiùm vulnere orbitatis vacua domus regia: gallicæ hæreditatis jus quidem non ambiguum, sed ob temporum injuriam anceps et periculosa possessio: Gallia secum ipsa discors: divisa intùs principum arma et consilia. Hujus verò intestinæ discordiæ auctor et fomes (piget nunc dicere, sed incorrupta annalium monumenta non sinunt dissimulari, et aliundè veterem in nos majorum injuriam moriens Carolus abundè resarcivit); auctor, inquam, et fomes hujus intestinæ discordiæ Hispanus, qui Galliam nostram suorum tot regnorum appendicem jamjam numerabat.

O stupendas rerum humanarum vices, et ineluctabilem vim divinæ Providentiæ! Quis crederet eamdem hanc Hispaniam centum post annis, eodem vulnere orbitatis ictam, in easdem angustias atque etiam majorem metum adductam, Galliæ imploraturam auxilium, austriacisque regibus successorem petituram ab illâ ipsâ Borboniorum domo, quam tot machinationibus à legitimâ gallici regni successione exclusam tunc voluerat?

Fuit hoc inter utraque tempora discriminis, quod nunc et Gallia ab omni etiam suspicionis labe integra nihil turbarum civerit apud Hispanos, et inter ipsos nulla seditionum ac discordiæ tempestas extiterit. Ad extremum usque spiritum regem suum reveriti, non hanc præcipuam pietatem duxerunt, prosequi defunctum ignavo questu; sed, quæ voluerit, meminisse; quæ mandaverit, exequi. Cognitâ ejus supremâ voluntate, idem omnibus animus, idem consilium. Diceres privatam familiam, ubi

mortuo patre nullus nisi mœroris motus inter benè concordes liberos. Hanc verò conspirationem animorum, hanc diù moribundi regis reverentiam per tot gentes non magis dissitas locorum intervallo, quàm sermone et moribus dissonas, velut tenore uno pertinuisse, rarum constantiæ et fidei in reges exemplum, quod instar cujusdam prodigii videri debeat, nec nisi ope divinâ fieri potuit.

Audierant illi quidem jam anteà crescere in Borboniorum regnatrice domo institutum Ludovici Magni disciplinâ egregium principem, instructum omnibus imperatoriis virtutibus, maximoque momento futurum rebus ejus imperii, in quodcumque venisset. Oris illi dignam imperante majestatem; corpus ad bellicos labores habile ac vegetum; indolem verè regiam, avitæ paternæque laudis memorem; ingenium, quale regnatorem, præsertim Hispaniæ, deceret, solidum non minùs quàm solers: multa cogitans, parùm loquax: apertum et simplex sine fuco, sine dissimulatione prudens; sagacitatem mentis supra ætatem: celsitudinem animi penè supra conditionem; pectus à teneris imbutum amore veri et honesti, omnibus ingenuis artibus feliciter excultum; imprimis pietatem in Deum sensumque religionis, qualem in suis regibus Gallia simul et Hispania optare possent.

Nunciatâ regis morte hæc omnia Hispanis animo recurrerunt. Tunc scilicet ante oculos astitit et præsens periculum perituræ mox Hispaniæ, et posita in proximo ruentis imperii spes unica dux andegavensis. Missis ad Ludovicum cum regis testamento nunciis, omnes Hispani in Galliam ora vertere, spem inter metumque suspensi, quid sibi sollicitis ac pendentibus animi renunciaretur. Alterum

responsum salutem, victoriam, lucem ac libertatem allaturum; alterum horrebant ominari quæ ferret. Neuter animi habitus satis dici narrarique potest, nec quo incertâ expectatione eventûs Hispania fuerit, nec quo felicem indè acceperit nuncium. Ut publicus rumor pervasit Ludovicum annuere ipsorum votis, accipere testamenti conditiones, ducem andegavensem Hispanis regem concedere, consilia Hispanis sua, arma, opes, imò totius gallicæ gentis animos ipsi, et corpora polliceri; enimverò tunc superfundenti se lætitiæ vix temperatum est: aurium oculorumque testimonio vix satis præ gaudio fidentes, alii alios intueri, seque invicem interrogare, mirabundi velut somnii vanam speciem. Nec in præsens modò effusa lætitia est, sed per continuos hucusque dies gratis et cogitationibus et sermonibus revocata: Esse aliquam in terris gentem, quæ propriæ utilitatis immemor, suâ impensâ, suo labore ac periculo bella gerat pro salute aliorum.

Et verò quid lætius poterat Hispanis, quid fortunatius contingere? Assumptus in regem dux andegavensis obstitit ne ex illo hispanicæ ditionis vasto corpore partes ullæ ac membra distraherentur, hoc est totius Hispaniæ certam perniciem ac ruinam averti. Hoc ab suo rege primum munus habet Hispania, nec solum. Taceo stabilitam in longum hâc societate pacem, et firmata in æternum religionis jura. Servâsse Hispaniam parùm videbitur generoso principi, nisi eamdem in antiquum gloriæ splendorem restituat. Id autem propediem futurum spondet non solùm invictus Philippi regis animus, inexplebilis virtutis veræque laudis, sed etiam virtus ipsa populorum. Inest quippè illis à naturâ ad sustinendos labores bellicos et obeunda præliorum discri-

mina, cùm robur corporum, tùm animorum fortitudo: ad deliberationes et consilia rerum gerendarum insita mentis sagacitas, et impenetrabilis prudentiæ altitudo: ad excolendas quaslibet artes acris ingenii vis et mira solertiæ industria: ad concipiendum ardorem gloriæ, majoresque sumendos spiritus freno coercenda forte potiùs, quàm excitanda stimulo indoles. Ad hæc vastum et latè patens imperium: validissima oppida: munitissimi portus: reditus, si legitimè dispensentur, immensi, et tuendis pluribus imperiis pares. Quid igitur ad sustinendam regni magnitudinem deesse potest? Mens quædam, auditores, et velut anima, quæ per totum hispanicæ gentis fusa corpus, omnia intus moveat atque agitet: quæ velut resides animos torpentesque dextras acuat, et injectâ latè per populos nobili æmulatione, sopitam paulisper antiquæ gloriæ cupiditatem exsuscitet.

Et id egregiè præstabit Hispanis novus rex. Primùm, ut est regum suorum amantissima gens, et ille amari dignissimus, facilè sibi conciliabit studia populorum, omniumque animos et amorem vel in ipso jam adventu rapuerit, temperatâ præsertim gallicæ urbanitatis artibus regiâ majestate, cujus si major è longinquo reverentia, minor certè caritas. Ad pulcherrima quæque stimulabit Hispanos obsequium in principem, et æmulandi amor, multò validior quàm edicta et leges. Reviviscet apud nobilitatem martius ille spiritus, apud plebem avitus gloriæ ardor: portus, navalia, armamentaria, bellicis officinis omnia strepent. Nec minùs colentur pacis artes. Novus accedet agriculturæ honos, et per hanc nova Hispaniæ fertilitas: renovatus commercii labor publicum ærarium et privatas domos ditabit

iis opibus, quæ nunc ab Indiâ ad exteras gentes pleræque commeant, florebunt imprimis studia et litteræ sub eo principe cujus à teneris annis deliciæ fuerunt. Denique regem inter et populos mutua vigebit æmulatio, illius ut publicæ felicitati, horum ut regis gloriæ unicè inserviant.

Tantæ Hispanorum prosperitati penè invideret Gallia, nisi jam utriusque gentis ut mentes sic etiam utilitates conjunctæ forent. Neque enim minora in nos quàm in Hispaniam ex hoc novo fœdere commoda redundabunt. Fecit quidem Gallia jacturam aliquot provinciarum quæ ejus finibus accedere poterant: sed eadem, stabilitâ suo damno pace Europæ, et integritate religionis, fecit immensum laudis et gloriæ lucrum, cujus augendæ multò debet esse avidior, quàm amplificandæ potentiæ. Neque enim vera magnitudo Galliæ est porrigere longiùs imperii terminos, sed suis ac justis contentam finibus, terrore armorum et justitiæ famâ dare jura Europæ, componere dissidia vicinarum gentium, defendere oppressos reges, tueri religionem, cavere necubi sit injustum imperium, sed ubique jus, fas, lex, potentissima sint. Accrevissent, fateor, imperio nostro provinciæ aliquot, emendæ forsitan multo civium nostrorum sanguine, nec sine plurimâ vicinorum invidiâ retinendæ: at ecce tota nobis sponte cedit Hispania novo et hactenùs inaudito genere victoriæ. Non contenti regem sibi è borboniâ domo ascivisse Hispani, se suaque omnia, et regem et regnum in ejusdem illius borboniæ domûs fidem et quasi clientelam tradunt: rati, quo nihil nec Galliæ nec Ludovico contingere gloriosius poterat, meliùs se pene di am sub mperio nostro quàm legibus suis victuros. Hispanos itaque jam Ludovicus et tuebitur ut

rex, et fovebit ut pater: urbes provinciasque illorum defendet ut suas, iisdem abstinebit ut alienis: ex illâ procuratione hispanici imperii salus ac libertas veniet ad Hispanos, ad Ludovicum et Gallos nihil aliud præter defensionis ac tutelæ gloriam.

Quanquam sic quoque et Galliæ saluti, et securitati religionis consulitur. Si enim ex hoc præsenti magnitudinis et potentiæ fastigio, in quod res nostras evexit Ludovici Magni virtus et felicitas, libeat paulisper oculos conjicere in illa Galliæ calamitosa tempora, quibus olim non semel in extremas angustias, et in ultima rerum omnium discrimina venimus, agnoscemus, auditores, nullis ferè quàm hispanici belli procellis periculosiùs ac sæviùs concussam esse Galliam. Quid? ipsa religio undè tot vidit in Europâ duobus abhinc seculis è sinu suo distrahi ac divelli liberos? Utinam liceret hoc dedecus ex annalium monumentis aut potiùs è rerum naturâ delere ac tollere! O pudor! ô sancta fides! ô graves funestasque pariter religioni principum et amicitias et dissensiones! ô cruenta hæresis, facta per Europam potentior probrosis christianorum discordiis! Ut igitur flagrantium nunc in Europâ tot hæreseon facem utriusque gentis præsertim dissidia concitârunt, sic earumdem felici concordiâ spes est aliquandò penitùs extinguendam.

Quamdiù enim stabit ista pax et utriusque gentis consensio (stabit autem, fovente eodem qui sanxit illam Deo, in æternum) tamdiu sperare fas est et invictam fore religionem, et inviolabilem Galliam. Considant jam licet altissima Pyrenæorum atque Alpium juga, quibus limites nostros munierat ante natura; firmioribus jam præsidiis divina te Providentia defendit, ô felix Gallia! *Posuit* Dominus ipse

fines tuos pacem: hoc est societatis et pacis hispanicæ velut inexpugnabili muro fines tuos undique cinxit ac circumvallavit. Ex alterâ parte non ampliùs, lateri nostro tanquam infesta pestis adhærens, belli facem contra nos accendes Belgium, heu! funesta utrisque provincia, hostium pariter et amicorum tumulus infelix, saginata toties nostro et tuorum sanguine terra, perpetuum ducentis abhinc annis cruenti belli theatrum, ubi terribilis Deus exercituum penè quotannis singulas Europæ gentes tanquam victimas ad occisionem congregat, ubi nunquàm non ferè districtus ille mucro Domini inebriat se sanguine, devoratque carnes occisorum! Pax in posterum his locis, amica pax residebit, auditores: aut si qua gens malesana nos rursùm ad arma coget, non ampliùs reliqui belli sedes erit Belgium; hæc enim contra nos hostibus nostris hucusque fuit arx, hoc horreum, ærarium, armamentarium; hoc omnium rerum receptaculum: hinc rectus in Galliam impetus. Reliqui belli jam sedes erit tali fato dignior provincia: illuc terror fugaque, populatio agrorum, defectio sociorum, oppidorum incendia, cæteræque belli clades quæ per tot annos in Belgium ingruerunt, convertentur.

Sed faustiora liceat augurari. Quibus enim armorum causis, et quo tantarum cladium pretio contra nos vicini bellarent? Ludovico quidem tantùm gloriæ belli domique partæ est, ut propiùs fastidium ejus sit quàm desiderium: sic usitata illi ac propè jam obsoleta ex victoriis gaudia sunt, ut pacis otium et securitatem quàm armorum tumultus et aleam malle debeat. At si anxius invidiâ vicinorum animus, Galliæque fastigium in deminutionem suî accipiens, rursùm turbare pacem audeat, experientur quantò

fortior virtus sit in libertate suâ vindicandâ, quàm cupiditas in oppugnandâ alienâ : agnoscent eosdem et se et Gallos esse qui per tot annos fuerint, eosdem animos, easdem corporis vires, eadem arma gerere: Ludovicum quoque eumdem esse, nisi quod hunc et metuendum magis justus in hostes dolor faciet, et experta toties divinæ Providentiæ tutela fidentiorem; denique sentient cujus populi vis atque virtus atroci totius ferè Europæ conjuratione non modò non obruta sit, sed etiam ex illius sævitiâ belli semper victrix emerserit, eam adjunctis præsertim Hispaniæ viribus posse ulteriùs, quàm ipsis optandum sit, vincendo progredi.

At tu potiùs, ut exercituum sic etiam pacis Deus, aufer bella usque ad finem terræ; dissipa consilia gentium et principum qui bella volunt: fac ut cogitent cogitationes pacis et æquitatis. In manu tuâ sunt corda regum, et quòcumque vis inclinas ea. Tu nuper statuisti procellam belli, et subitò siluerunt fluctus ejus: tu mox fecisti cogitare unanimiter et unius moris habitare in domo gentes paulò antè inimicas. A te, à te, inquam, uno factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis: custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum. Imprimis da novo regi cor docile, ut populum hunc infinitum, super quem illum regnare fecisti, judicare possit. Da illi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut cum illo sit et cum illo laboret omnibus diebus vitæ ejus. Pergat magis ac magis timere te deum suum, nec unquàm elevetur cor ejus in superbiam. Sit ille pater pauperum, sit adjutor pupilli et egeni, cor viduæ consoletur, sit oculus cæco, et pes claudo: super

universum populum suum viscera bonitatis et misericordiæ induat. Regemque nostrum iisdem præveni benedictionibus dulcedinis. Longitudine dierum pariter et virtutum multitudine adimple eum, ut diù videat regnantes filios filiorum suorum, et pacem super Galliam.

ORATIO

Super gratuitâ juventutis institutione fundatâ à rege christianissimo Ludovico XV,

Habita die 19 decembr. 1719.

Est hoc vulgare satis et usitatum principibus, quos nihil æque ac diuturnitatis amor et cupido sollicitat, auditores ornatissimi, velle præclara quædam ac magnifica moliri, quibus nomen illustretur suum, gratâque ac perpetuâ hominum recordatione æternitati commendetur. In illâ scilicet affluentium ad eos opum, honorum, voluptatum copiâ, sentiunt sibi tamen aliquid deesse, quod longè prospiciens in futurum animus maximè desideret, unumque præ cæteris sibi insatiabiliter parandum, claram suî apud posteros memoriam. Quoniam autem plerique pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæque gloriæ vehementiùs quàm sapientiùs appetunt, veterum institutorum, quamlibet publicæ rei utilia sint, planè incuriosi et immemores, ponendam sibi ut plurimùm operam existimant in aliquâ re, quæ ipso splendore novitatis perstringat oculos, suîque admirationem concitet; cujus inventæ ac perfectæ laus ad neminem aliud pertinere ac derivari possit; cujus ipsi soli auctores, conditores, ac velut parentes appellari mereantur; ex quâ denique solis ipsis liceat integrum et cuilibet alteri illibatum existimationis florem decerpere: quasi quidquid ad tuenda aliorum

opera impensæ et laboris insumpturi essent, id alienæ tantùm famæ accresceret, et periret suæ.

Longè aliter sentiebat illa veræ laudis prudens æstimatrix antiquitas, in cujus monumentis et numismatis, quæ adhuc extant, toties restitutorum operum fit mentio. Longè aliter etiam sensit, præeunte judicio serenissimi regentis, Ludovicus XV, dùm fundatam apud nos voluit gratuitam institutionem. Cùm Philippus erecto et sublimi ingenio ad maxima quæque et splendidissima feratur, vidit nihil posse magis vel ad pupulli regis nascentem famam, vel ad totius regni utilitatem pariter et gloriam conducere, quàm si regia liberalitas et munificentia solemni et mansuro in perpetuum decreto provideret fortunis et dignitati nostræ hujus reipublicæ litterariæ, omnium, quotquot in orbe christiano sunt, academiarum parentis ac principis : quæ nata in ipsis regum penetralibus, sub eorum tutelâ et præsidio, per tot retrò secula, novis in dies aucta doctrinæ et famæ incrementis, nunquàm certè, nisi nos in matrem nostram fallit amor, regno vel oneri fuit, vel dedecori.

Dùm autem optimus princeps publicis tantùm commodis videtur consuluisse, suæ etiam propriæ laudi non mediocriter consuluit. Est enim hæc veræ gloriæ natura et indoles, ut virtutem necessariò, quanquam id tu non agas, velut umbra corpus, sequatur; spretaque in tempore cumulatior in eum redeat, qui nihil ad ostentationem, omnia ad utilitatem publicam refert, rectèque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit. Cæteros, qui per inexpletam sitim et aviditatem laudis, novis tantùm operibus ac monumentis intenti, libenter sinunt antiquitùs instituta exolescere, manet ple-

rumquè illa sors, ut, postquàm eorum opera vivis eis ac spirantibus brevem nescio quam inanis gloriolæ voluptatem præbuerunt, justo posteritatis neglectu ipsa quoque statim intercidant, atque oblivione hominum sempiternâ obruantur. At, etiamsi diutiùs ipsâ rei recèns institutæ utilitate perdurent, nunquàm tamen assequuntur duplicem illam, si fas ita loqui, famæ perennitatem, quæ in tuendis vel augendis remotissimæ antiquitatis operibus reperitur. Est enim fama illa ejusmodi, ut maxima pars ejus non in memoriam solùm ac posteritatem promineat, verùm in lapsa etiam multò antè secula recurrat et exspatietur; nec contineat se intra augustos nimiùm, quantumvis longè pateant, futuri ævi limites, sed omnem retroacti temporis fructum et usuram ad se revocet.

Talis gloriæ seges novum in nos Ludovici regis et Philippi regentis beneficium prosequetur. Quoniam illi minimè cogitârunt illustri potiùs et recenti monumento, quod nomen suum præferret, commendare se posteris, nec quidquam aliud in mente præter optimam de suis civibus benè merendi voluntatem habuerunt; eos, nec id ægrè ferent conditores nostri, eos consentiens laus bonorum omnium, incorrupta vox bene judicantium de virtute, universitatis nostræ, ab hâc secundâ origine velut ab stirpibus lætiùs feraciùsque renascentis, novos fundatores, novos parentes grati et memoris animi sincerâ significatione prædicabit.

Celebratur admodùm Augusti et Mecœnatis in litteras et viros litteratos amor, quòd poëtis aliquot impensè faverint. Ingenia et artes maximè omnium fovisse dictus est Vespasianus imperator; quòd primus è fisco latinis græcisque rhetoribus annua centena

constituerit. Jactatur non immeritò Francisci I erga viros doctos liberalitas. Quantò potiori jure ac titulo litterarum et litteratorum hominum dicetur parens Ludovicus XV, qui ex ipso quidem universitatis patrimonio, sed adhuc penè infructuoso nobis, nec nisi regiâ munificentiâ in hunc modum aucto, plus quàm centum professoribus perhonestos reditus in perpetuum assignavit?

Atque ut intelligatis quanta sit indè reditura non solùm in cives commoditas, sed in ipsum regem et regentem gloria, duplici hujus orationis capite exponam quid hactenùs regno profuerit parisiensis universitas, quid eidem sit in posterum gratuitæ institutionis ope profutura, cujus utriusque laudis possessio ad novos fundatores nostros æque jure pertinebit. Ita et præteriti temporis experimento, et spe venturæ utilitatis æstimari poterit an rectè sit beneficium regis apud universitatem collocatum. Quæ duo dùm conabor pro meis viribus exequi, vestrâ me, quæso, benevolentiâ sublevetis.

PRIMA PARS.

Tria præsertim in instituendâ parisiensi universitate proposita regibus nostris fuerunt, ut ingenia hominum litteris excoleret, ut eorum mores recto et honesto fingeret, ut eos solidâ pietate et religione imbueret. Hæc tria, in quibus omnis etiamnùm versari debet docentium labor, an feliciter academiæ nostræ et ex conditorum voto successerint, vestrum erit, auditores, judicare.

Efferati barbarorum irruptionibus et longâ serie bellorum animi sic omnem apud nos politioris humanitatis gustum exuerant, ut in hâc ferace quon-

dam præstantium ingeniorum Galliâ, tanquam in inculto et deserto agro, fœtus doctrinæ omnis repressus exustusque flos exaruisse in perpetuum videretur. Quid ergo excogitârunt reges nostri ut gentem gallicam ex hâc publicâ circa bonas artes socordiâ excitarent? Gnari quam vim cultura ingeniorum habeat, et quàm sit illa efficax novam hominibus quasi naturam et indolem inserere, convocatis undecumque spe honestæ mercedis, omnique invitationum genere, perdoctis viris, in ipsâ aulâ suâ, in regali palatio, illustrem bonarum artium officinam aperuerunt. Diceres illuc commigrâsse cum suis opibus et thesauris et divitem Romam, et nobiles Athenas, et sacram ipsam Solymen. Difficillimæ et abstrusissimæ artes nihil exindè inaccessum nobis et impervium habuêre. Vicit omnia labor improbus, et optimorum principum promerendæ gratiæ cupiditas.

Nihil est scilicet tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facilè sequatur quòcumque ducas, quàm gallica gens, si rex ipse præeat. In quamcumque is partem inclinet, illuc statim omnia vergere. Itaque principum nostrorum amor in litteras totum brevì regnum invasit. Cæperunt bonæ artes in honore pretio esse. Cœpit animorum ferocitas solerti studiorum temperaturâ mitescere. Hirsuta priùs et horrida ingenia, nitorem quemdam et urbanitatis leporem quotidiano et familiari usu litterarum assumpserunt.

Hinc conversæ in admirationem nostrî vicinæ gentes, juventutem suam iisdem artibus imbuendam parisinis doctoribus certatim tradere, confitentes palàm (quo nullum præclarius nobis victoriæ genus esse poterat) id quod optimum esset se

non habere. Hinc missæ posteà Parisiis in exteras passim nationes variæ magistrorum coloniæ, quarum ope institutis ad hujus nostræ imaginem et normam pluribus academiis, eò fama nostra penetravit, quò nunquàm arma pervenerant, atque ingenii gallici fines plus multò promoti sunt quàm imperii.

Quo in pretio, etiam remotissimis illis temporibus apud exteras gentes fuerit nostra universitas, testatur celebris illa Gregorii IX ad regem Ludovicum, qui posteà inter sanctos ascriptus est, et ad Blancam matrem ejus reginam epistola, in quâ studium hoc parisiense literarum *fluvio de loco deliciarum egresso* comparat; *quo quidem fluvio* (sunt ipsæmet Romani pontificis voces) *non solum Galliæ regnum irrigatur et fecundatur per Spiritus sancti gratiam, verùm etiam paradisus Ecclesiæ generalis, cujus alveus* (notate, si placet, verba), *cujus alveus parisiensis civitas hactenùs nascitur, extitisse ad quam ex diversis mundi nationibus ad aquas sapientiæ hauriendas* ingens undique juvenum multitudo confluit.

Eant nunc, qui nihil mirantur præter bellicæ gloriæ strepitum, nostraque hæc studia, tanquàm principibus viris parùm decora, aut etiam parùm utilia publicæ rei, deprimunt et aspernantur. An conditoribus nostris victoriæ quàm litteræ plus laudis attulerunt? an subactis ferro gentibus, quàm domitis ratione et doctrinâ ingeniis, meliùs de humano genere meriti sunt?

Talia fuerunt primordia et velut incunabula nascentis nostræ universitatis: quæ deterso rudium seculorum squalore et situ, quantis exindè ad hæc usque tempora progressibus enituit! Hanc nos pretiosam doctrinæ et gloriæ hæreditatem, quasi

per manus nobis à majoribus traditam, omni ope conamur transmittere ad posteros integram, et novis etiam, si fieri potest, incrementis auctiorem. Cujus industriæ suæ et optimæ voluntatis rogat universitas ut sinatis in hoc perillustri cœtu rationem à se vobis reddi; quibus tam peritis rerum æstimatoribus si sua docendi methodus utcumque arrideat non omninò indignam se regiâ liberalitate judicabit.

Cùm ideò mittantur in scholas nostras adolescentes, ut poliendos se nobis limandosque tradant, et ad omnem vitæ humanæ cultum quodam urbanitatis sale condiantur, undè etiam litteræ nostræ politioris humanitatis nomen obtinent, diligenter curamus eos imbui multâ et accuratâ veterum quidem præsertim scriptorum lectione, quibus constat non posse præstantiores formandis ingeniis magistros reperiri, sed recentium etiam et nostratum, quos ferè in unoquoque genere excellentes habemus, ne in patriâ demùm linguâ peregrini et hospites esse videamur. Præter illam autem, quâ adolescentes instrui decet, multiplicem omnigenæ eruditionis copiam, in id maximè pro viribus nostris incumbimus, ut apud nos veri et optimi gustum et sensum, qui præcipuus studiorum fructus est, percipiant; ut jam tunc assuescant res quàm verba, sententias quàm figuras pluris facere; ut prædulce illud dicendi genus, crebris acuminum et sententiolarum non tam luminibus quàm scintillis micans, fucoque et cincinnis et velut meretricio ornatu fulgens, hoc plerumquè jucundius puerilibus ingeniis quò propius maturâ judicii severitate respuant; ut eos præsertim scriptores adament, in quibus succus ille et sanguis incorruptus sanioris eloquentiæ viget; ut ex iis exquisitum quemdam nitoris et elegantiæ flo-

rem delibent, nativamque simplicis cultûs munditiem assumant, quibus vix dici potest, cùm ea semel à teneris imbiberint, quantoperè deinceps velut naturâ duce assuescant animi puerorum, et ad cætera deindè paratiores veniant. Hoc enim habent et ea, de quibus loquimur, humanitatis studia, et reliquæ multò altiores artes philosophorum et mathematicorum, quæ iis velut cumulum addunt, ut etiam cùm se in agendo vel dicendo non ostendunt, vim tamen occultam suggerant, et tacitè quoque sentiantur; ita ut quicumque fuerit omnibus iis artibus, quæ sunt libero homine dignæ, perpolitus, hunc, etiam non id agentem, furtim decor quidam ex illâ puerili institutione subsequatur.

At hæc ingeniorum cultura, quamlibet sit per se ipsa utilis, exigui tamen apud nos pretii videretur, si non ad mores usque transiret. Probos enim ante omnia volumus esse adolescentes: alioqui non pejus duxerimus tardi illos esse ingenii quàm mali. Hunc ergo præcipuum in instituendis pueris injunctum nobis laborem ducimus, ut illi apud nos probitatem, honestatem, fidem, justitiam edoceantur: ut discant esse boni filii, boni amici, boni cives: ut denique, quoniam nati sumus ad societatem communitatemque generis humani, omnia vitæ civilis officia jam nunc et nosse et adimplere consuescant.

Quâ autem potest humanâ arte meliùs fingi et contineri juventus, his præsertim temporibus, quibus majorum mores, torrentis modo præcipitati, ita porrò ferri et secum omnia trahere cœperunt; quàm si, velut translatis in meliora secula adolescentibus, adversùs præsentis ævi contagionem vetera Græcorum et Romanorum seu dicta, seu exempla, tanquam validissimos obices opponamus.

Fatendum est enim, auditores: sensum ac judicium veræ gloriæ, veræ magnitudinis, veræ nobilitatis quotidiè magis ac magis omittimus, corrupti jam plerique ac depravati effrenatâ vel cupiditate vel admiratione divitiarum. Docuerunt nos jampridem novi homines, repentinâ fortunâ ebrii, qui pecuniam omnibus modis trahunt et vexant, nihil in rebus humanis grande et præclarum arbitrari præter opes, easque abnormes et immensas: non paupertatem modò, sed vel ipsam honestæ mediocritatis tenuitatem, probri et infamiæ loco ducere: laudem industriæ omnem ponere in apparandis lautè et opiparè conviviis: vasa, signa, vestem, suppellectilem, domos, villas, omnia, præter animum, magnifica habere.

Quî possis contra talis corruptelæ vim gliscentem latiùs in dies præmunire animos adolescentium, quæ tamen præcipua pars officii nostri? Si ex industriâ et debitâ operâ sermonem de recto et honesto instituamus, aures illicò nobis et mentes obstruunt, sibique ab omni parte clausi diligenter præcavent, quasi eorum libertati struantur insidiæ. At præcepta illa, et exempla, quæ inter legendos auctores sponte occurrunt, cùm sint minimè quæsita et accersita, eò se blandiùs animis insinuant, quò minùs timentur. Libenter audiunt Curios, Camillos, Scipiones, Catones, minimè suspectos sibi virtutis judices et magistros.

Vident, non sine admiratione, ab agro sæpè et aratro accersitos consules et imperatores: sed illas rustico opere attritas manus salutem publicam stabiliisse. Eos convivii scitè adornandi rudes longè meliorem didicisse artem, et fortiter domandi hostes in bello, et sapienter regendi cives in pace. Post

plures consulatus et triumphos maximis sæpè ducibus defuisse sumptus ad funera: tantus erat tunc divitiarum contemptus, tantus honos paupertatis. In struendis quidem templis et publicis ædibus splendidissimos fuisse, at in privatis domibus permodestos, quas gloriâ, non luxu, et hostium, non civium, spoliis decorabant.

Qui possunt iidem non vehementer affici egregiis Scipionis vocibus, cùm Masinissam alloquens fatetur se nullâ virtutum æquè ac temperantiâ et continentiâ libidinum gloriari, nec tantum esse juventuti ab hostibus armatis periculum, quantum à circumfusis undique voluptatibus? Et is jam antè erga captivam eximiæ formæ virginem illustre suî eâ de re specimen dederat, et juvenis, et cœlebs, et victor. Ampliùs adhuc aliquid domitor ille totius Orientis Cyrus, qui captam à suis pari formæ præstantiâ regiam virginem, suæ juventuti diffidens, nec intueri voluit.

Quæ sit autem vera virtus bellica, quis verus gloriæ sensus, undè meliùs discet nobilis juventus, quæ ad militarem artem se accingit, quàm ab illo percelebri apud Græcos Themistocle? Præfectus toti sociorum classi Eurybiades Spartanus, ægrè ferens ducem Atheniensium adhuc juvenem sibi in dicendâ sententiâ paulò acriùs obsistere, baculum in hunc ferociter minitans ad feriendum sustulit. Quid nos Galli in tali rerum articulo ageremus? Sedato vultu, et nihil commotus Themistocles: *Feri*, inquit, *sed ausculta:* Πάταξον μὲν, ἄκουσον δὲ. Auscultavit enimverò tantæ moderationis miraculo stupens Spartanus; commissoque intra Salaminis angustias certamine, parta est insignis illa victoria, quæ et toti

Græciæ libertatem assuerit, et famam Themistocli meruit immortalem.

An gravissimæ sapientium et philosophorum omnium præceptiones talis unquàm exempli vim ad erudiendos juvenes nostros assequi possint? præsertim si moneantur, id quod nunquàm satis inculcari potest, nullum prorsùs, non modò apud Græcos, sed nec apud illos totius orbis domitores romanos, bonos certè bellicæ laudis et fortitudinis judices, nullum prorsùs tam longo seculorum tractu singularis inter privatos duelli exemplum extitisse. Nondùm invaserat animos hominum, quæ nunc apud nos celsa mentis nobilitas et pulcher amor gloriæ vocatur, hauriendi mutuo sanguinis barbara illa ferocitas, aut potiùs rabies. Jurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant, inquit Sallustius, cives cum civibus de virtute certabant.

Probos adhuc adolescentes finximus, at nondùm christianos. Et est tamen finis studiorum ultimus religio, quæ sola virtutibus iis, de quibus diximus, dat pretium, et velut animam addit; et sine quâ à veteri Lyceo et scholis ethnicorum nihil prorsùs universitas nostra distaret. Ideò autem illa præcipuè instituta est, ut esset in medio non Galliæ solùm, sed totius Ecclesiæ sinu, arx invicta fidei, portus et asylum veritatis, munitissimum velut armamentarium, undè parata semper et in ipsius incude religionis frabricata arma promerentur, ad tuendas regni libertates, hoc est veterum canonum disciplinam, ad debellandas hæreses, ad fuganda vitia, ad exterminandam superstitionem.

Temporis angustiis exclusus omitto vetera, quamlibet nobis magnifica: sed ea nemo vestrûm ignorat: consultos sæpiùs de religione majores nostros à

principibus, à præsulibus, à romanis pontificibus, ab ipsis generalibus conciliis. Omitto nostrorum præsertim hominum operâ, industriâ, eruditione, studio, et convocata, et ad felicem perducta exitum concilia constantiense et basileense, firmissima illa duo fidei christianæ et libertatum nostrarum propugnacula. Omitto denique coactum, auctoritate parisiensium theologorum, ejurare errores suos de animarum beatitudine romanum pontificem Joannem XXII.

Funestis Lutheri temporibus, cùm illius pestiferæ hæreseos contagio per Europam impunè grassaretur, undè primùm Galliæ nostræ spes affulsit? Gratias Deo immortales, qui in tanto religionis discrimine, adversùs hunc torrentem, quo urbes, provinciæ, regna integra trahebantur, parisiensis theologiæ doctores, seu firmissimum murum opposuit. Emissa à Leone X bulla fluctuantium animorum æstus compescere non potuerat: conscripti à parisiensibus theologis viginti quinque articuli, iique totius universitatis unanimi consensu confirmati, fidem in Galliâ sanxerunt, et illi, quam generalis deinceps synodus præscripsit, credendi normæ ac regulæ viam et auctoritatem præstruxerunt.

Ita semper erit, auditores. Quoniam theologi nostri non sinunt circumferri se omni vento doctrinæ; sed in fide stabiles, omnia Scripturæ sacræ, et traditionis trutinâ ponderant, nec profanas vocum novitates inducunt, sed sacrâ verendæ antiquitatis auctoritate velut anchorâ nituntur, frementibus nequicquam cupiditatum et opinionum humanarum procellis, stabunt immotæ et inconcussæ illorum de religione definitiones, errorisque

et mendacii nebulas victricis tandem aliquandò veritatis luce dispellent.

Non sola hæresis religionem impugnat. Bellum ipsi indicunt alii prætereà hostes, eò metuendi magis, quò minùs metuuntur, vitia, ignorantia, superstitio. Scilicet cùm ejusmodi sit homo, ut carere omninò non possit religione, pro verâ et germanâ, cujus austera sanctitas ipsum angit et sollicitat, avidè arripit simulacrum illius et adumbratam imaginem, quæ, exterioris modò qualiscumque cultûs non incommodum vectigal persolvens Deo, suis interim voluntatibus non adversetur. Quòd si prætereà accedant blandientes magistri, qui laxas dent humanæ cupiditati habenas, vix credibile est quàm facilè et celeriter religionis imitatrix superstitio, vitiorumque mater et nutrix ignorantia, animis irrepant. Exemplo sunt aliquot vicinæ gentes, apud quas vigens olim doctrinæ pariter pietatisque laus non aliam ob causam videtur nunc ita languens et penè intermortua, quàm quòd enervatis otio et novarum opinionum contagione corruptis earum universitatibus et scholis, omnis ferè illic religio in pueriles et sæpè ridiculos ceremoniarum ritus evanuit.

Hoc idem ne in Galliâ contingeret, nostra non parùm obstitit universitas. Nec de theologis tantùm loquor, qui semper, pro suo munere, velut in excubiis positi, attentè vigilant ne qua doctrinæ vel morum labes furtim apud nos subeat. Idem apud cæteras quoque facultates, idem apud nos viget tuendæ pietatis ardor.

Quantùm putatis, auditores, conferre ad eam præsidii posse vel unam philosophiam? Præterquàm quod enim illa, præsertim ut nunc à plerisque tra-

ditur, mirè valet et ad fingendos mores, et ad acuenda ingenia, non solùm disserendi subtilitate, sed præstantibus etiam quas tradit rectè et sanè judicandi regulis; hoc habet proprium et peculiare munus, ut latentem ubique in omnibus naturæ arcanis Deum quasi digito commonstret; ut ipsâ naturæ obscuritate adolescentes assuefaciat sanctam mysteriorum obscuritatem venerari; ut, ad comprimendam in rebus fidei ingenitam nobis curiositatem, doceat quàm sit rationi consentaneum non velle intra angustos humani ingenii limites, cujus aciem fugiunt etiam positæ res sub oculis et pedibus nostris, vim divinitatis infinitam concludere; ut denique Discipulos suos ratione ipsâ duce ad sacrum usque fidei limen venerabunda perducat, animosque juvenum, docilis obsequii salutari jugo domitos jam et subactos, tradat religioni, eosque velut inter manus optimæ matris secura deponat.

Quid! nonne in singulis scholis professores nostri pretiosa illa, quæ passim apud ethnicos occurrunt, veritatis vestigia, de supremo numine à quo mundus conditus, de diviná Providentiâ cujus nutu reguntur humanæ res, de immortalitate animæ, de æternis alterius vitæ suppliciis et præmiis, et alia ejusmodi plurima, sacrorum codicum, et præsertim sancti Evangelii quotidianâ lectione confirmant et consecrant?

Et verò, nisi à teneris pueri Scripturæ sacræ lectione, imbuantur, nisi indè solidæ pietatis haustus bibant, nisi jam tunc Christo præceptore utantur, ecquis erit tandem posteà audiendæ illius voci locus? An cùm vel libidinum æstus, vel honorum ambitio, vel cupiditas divitiarum, vel suæ cujusque muneris occupationes totum hominem gravissimis

curis distringent? Undènam, precor illa quam viri boni tam sæpè deplorant, et Dei, et Christi, et Evangelii, et suî ipsius nonnunquàm ad senectutem usque perducta ignoratio, nisi quòd in puerorum animis non statim jacta sunt solida religionis fundamenta; nisi quod pro sublimibus illis evangelicæ doctrinæ institutis, quæ mentem hominis alunt et erigunt, substitutæ sunt aniles fabulæ, nugæ, ineptiæ, quibus non possunt animi puerorum non deprimi et corrumpi.

Multùm igitur reipublicæ, plurimùm verò religionis interest, ut stet semper ac vigeat ejusmodi schola in quâ sic ipsi quondam à magistris edocti, iisdem vicissim conamur discipulos nostros informare præceptis: atque adeò multùm ei principi debetur, qui gratuitæ institutionis beneficio perfecit, ut adolescentium educationi feliciùs adhuc illa posset in posterum incumbere. Quod dùm alterâ hujus orationis parte demonstrabo, vestrâ me rursùm, auditores, patientiâ sustinete.

SECUNDA PARS.

Quæsitum est aliquandò apud Romanos, utrùm liceret oratoribus mercedem à reis et litigantibus accipere, an iis semper gratis agendum esset: responsumque pro illius ratione temporis, ubi dicendi vis ad maxima quæque sternebat viam, non posse quemquam patronum, qui sufficientia sibi (modica autem hæc esse), possideret, hunc quæstum sine crimine sordium facere. Quòd si res familiaris ampliùs aliquid ad usus necessarios exigeret, passurum oratorem secundùm omnes sapientium leges sibi gratiam referri, quoniam hæc ipsa opera, tempus-

que omne alienis negotiis datum facultatem aliter acquirendi recideret.

Idem ferè de nostrâ etiam sorte judicabat universitas parisiensis. Sentiebat quidem illa nullum esse quæstum magis vel legitimum, vel necessarium, quàm quem erudiendis pueris magistri percipiunt; et rubori esse debere, ut aiebat olim romanus imperator, suum præceptorem alloquens, quòd sordidissima quæque artificia lucri plus et fortunæ afferrent, quàm honestissima litterarum exercitatio. Ægrè tamen ferebat liberales artes apud se non satis liberaliter exerceri, pulchramque et nobilem docendi professionem minùs honestâ accipiendæ mercedis necessitate dedecorari. Servabatur hæc ineunti regno Ludovici xv gloria, ut primigeniam regum filiam ab hâc molestâ servitute liberaret.

Omnes quidem in universum artes, sed præsertim nostram hanc, honos et dignitas alit. Nihil est illâ, quamvis multi longè aliter corrupti vanis rerum sentiant, nihil est illâ grandius, nihil quòd majorem animi nobilitatem desideret. Non corporum, sed animorum, cura nobis demandatur. Traduntur nobis à parentibus liberi, ut eorum excolamus ingenia, ut fingamus mores, ut eos religione et pietate imbuamus : quo quid majus? quid præstantius? In nos illi suum onus, suam potestatem, sua jura transmittunt. In parentum ergo vicem substituti induamus necesse est non solùm acrem eorum sollicitudinem, et tenera caritatis viscera; sed multò magis illam celsitatem et magnitudinem animi, quâ magistratus, quâ viri nobiles et principes, quâ homines verè christiani suos ipsi liberos instituerent, ut nihil abjectum, nihil humile, nihil suo genere indignum a nobis unquàm vel discant, vel audiant.

Quæro autem à vobis, auditores, an talem virum, erudiendæ juventuti præpositum, deceat instar mercenarii tam nobilem vendere operam, sitve dignum liberalibus disciplinis, et illo quem præ nobis ferre debemus animo, indignas homine ingenuo mercedulas à discipulis exigere? Nonne poterat hæc vilis et indecora servitus penitùs deprimere animos magistrorum, cùm eos potiùs, quicumque litteris favere voluerunt, omni ratione extolli et erigi oportere censuerint, rati magnos animos magnis honoribus fieri.

Undè enim putatis, auditores, tot à regibus concessos fuisse rectori nostro titulos? undè liberos olim in regiam quocumque loco et tempore aditus? undè hos fasces, hos apparitores, hanc purpuram? cur senatûs principes et cancellarii, in publicis apud collegia conventibus, sedere ante se rectorem sæpiùs voluerunt? cur eumdem, cùm ipsos adit solemni pompâ universitas, abeuntem tam honorificè deducunt et comitantur? cur ipse rex Hispaniarum Ferdinandus, cùm institutam recens complutensem academiam viseret, medium inter se et cardinalem Ximenium incedere rectorem jussit? Hoc scilicet quasi publicum honoris et obsequii vectigal ipsi doctrinæ et virtuti persolvitur, ut crescat indè amor et reverentia Litterarum, ut crescant etiam hominibus litteratis animi et spiritus; non ad inanem puerilis jactantiæ fastum, sed ad veram sui muneris æstimationem, et ut dignos ejus nobilitate sensus concipiant.

At ecce tot et tam blandientibus titulis honorum principibus viris, atque ipsis penè regibus, quodammodò coæquatus, repentè ad abjectam infimorum artificum, atque etiam mercenariorum condi-

tionem deprimor, dùm præbenti mihi, nec sine rubore velut mendicam porrigenti manum, nummulos aliquot, sudati diù laboris pretium, discipuli annumerant. Fateor, auditores, nobis indè non mediocriter decrescere animos, omnem ingenii venam exarescere, et penitùs excuti illam, quâ valere imprimis debemus, sentiendi nobilitatem : adeò nos tali servitute plebs ima et inglorium vulgus fieri videmur.

Quid si, ut facilè pro virtutibus vitia subrepunt, in locum verecundi illius pudoris subeat lucri contagiosa dulcedo? quam non dabit illa ansam magistris colligendi discipulos, non exquisitæ eruditionis famâ, nec ingenii experimento, sed ambitione salutandi, et illecebris adulationis? Quî poterunt iidem quâ decet severitate disciplinæ convenientium ad se mores astringere, nisi sint ab omni spe, metu, cupiditate liberi? Adolescentes ipsi quos indè animos, quos spiritus contra nos sumunt? Quin et parentibus, præsertim si optimæ educationis fructu caruerint, quoniam non multi faciunt doctrinam et bonas artes, futilia rei augendæ instrumenta, et solent tanti res æstimare, quanti eas emerint, viles plerumquè et litteræ et magistri hoc ipso videntur quòd pretium habent, quo persoluto omni se deinceps grati memorisque animi onere liberatos existimant, cùm ejusmodi beneficium nec venire debeat, nec perire.

Ab his nos jampridem vindicare molestiis cupiebat universitas, sed irritis hucusque et inanibus votis. Apud reges nostros olim, cùm sola et sine æmulis esset, honore et gratiâ præpollens; illustribus in Ecclesiam et religionem meritis toti christiano orbi ad spectaculum proposita, nihilò per hæc unquàm

ditior fieri tentavit, sed suâ se modestiâ et paupertate involvens, uni tantùm publicæ utilitati studebat. Quod ergo per se non poterat mater universitas, id tandem paternus in nos amor Ludovici perfecit. Suppeditavit nobis principis optimi prudens non minùs quàm magnifica liberalitas, non quidem redundantes, undè luxus et cupiditas ali possent, reditus; sed honestam et frugalem, qualis litteratos homines decet, abundantiam, undè necessitatibus vitæ, atque etiam commoditatibus, provideri facilè possit.

Intellexit dux aurelianensis, ut est ipse litterarum amans et sciens, sublatis studiorum pretiis, etiam studia seriùs ociùs peritura: nihil à quoquam expeti, nisi cujus antè fructus præviderit: eò laborem impendi solere, undè emolumenta sperentur. Intellexit idem tranquillum aliquid et liberum studia nostra desiderare. Si enim desint ad cultum et victum necessaria, inquieta mens, nec suî benè compos, semper aliò spectat: curæ, angores, sollicitudines diù noctuque urunt et cruciant; quibus occupatus et obsessus animus quantulùm loci bonis artibus relinquit? Ut vatem egregium, sic optimum præceptorem (liceat poëtæ verbis uti) *anxietate carens animus facit.* Non dissimulandum est, auditores: jejuna et famelica paupertas omnem plerumquè ingenii succum exhaurit, omnes animi nervos frangit et concidit, qui ut bonâ fide studiis incumbat, ab omni et in præsens ægritudine, et in futurum metu, vacuus ac liber esse debet.

Quid? an res domi tam arcta et angusta sineret unquàm parari à nobis vel ipsa artis nostræ instrumenta: libros dico seu priscos seu recentes, sine quorum satis amplâ supellectili, quamlibet sit ali-

undè vividum et acre ingenium, non potest esse nisi manca et debilis admodùm eruditio, nedùm perficiatur ille præstanti magistro necessarius doctrinæ orbis, qui, ut mel ex vario florum ac succorum genere, ita ex plurium artium misturâ et diversarum planè rerum cognitione efflorescit et redundat?

Non defuerunt quidem hactenùs academiæ nostræ peritissimi in singulis artibus doctores, formandisque omni studiorum parte adolescentibus peridonei. At nunc, cùm et conditio docendi honestior facta est, et reditus amplior, quantò sperare fas est, si Deus cœptis faveat, uberiorem proventum fore excellentium in unoquoque genere magistrorum?

Accedet etiam illa non mediocris educandæ juventuti commoditas, quòd jam præceptor non cogetur majore se turbâ, quàm ut eam sustinere possit, onerare. Ut enim fortassè in majoribus scholis, propter maturius ætatis et judicii robur, magister unus par sit erudiendis ritè quàmplurimis adolescentibus, quemadmodùm sol universis idem lucis calorisque largitur: at certè fatendum est, si ambitiosis utilia præferantur, in inferioribus scholis, ubi propter ingenitam pueris levitatem mobilitatemque animorum, nec tam longa nec tam acris intentio debet exigi, vocem illam præceptoris, ut cœnam, minùs sufficere pluribus, timendumque ne ab hâc communi doctrinæ mensâ plerique è pueris, propter nimiam convivarum multitudinem, jejuni et inanes integram famem domum referant. Divisis per varia gymnasia discipulis, facilè jam poterit istud incommodum evitari.

Patebunt enim in posterum omnibus, sine ullo conditionis et opum discrimine, purissimi academiæ fontes. Licebit unicuique civium, quorum plu-

rimos à scholis nostris invitos et reluctantes arcebat temporum et rei domesticæ difficultas, haurire apud nos incorruptam regni doctrinam, nullâ peregrinæ novitatis et externarum opinionum colluvie inquinatam.

Quanquam, auditores, id gloriari meritò possumus, nunquàm apud nos egestati et inopiæ interdictum fuisse aditum, ut aiunt eâ de causâ occlusam olim fuisse Demostheni Isocratis scholam. Et verò, qui possemus, educati plerique in ipso honestæ paupertatis sinu, pauperum oblivisci? Quis magister, litteris saltem leviter imbutus, eos non in suam quoque gloriam peculiariter foveret? Quinam sunt qui in scholis nostris ingenio, studio, industriâ maximè eminent? Citra divitum offensionem dictum sit: *non multi potentes; non multi nobiles.* Hunc sibi honorem plerumquè vindicat doctrinæ non minùs quàm virtutis magistra paupertas.

At enim, inquiunt homines etiam academiæ nostræ perstudiosi, nonne metuendum est ne hæc ob gratuitam institutionem, lætitia luxuriet nobis ac vana fiat; ne sublato spei ac metûs stimulo et velut aculeo, languescat industria, paulatimque subeat grata inertiæ dulcedo; ne stabilitis in perpetuum fortunis nostris, et æquatâ omnium sorte, decedat certamen virtutis et ambitio gloriæ, discrimenque omne in posterum laboris et socordiæ pereat; et sic pro nobili illâ æmulatione, cujus acriori morsu optima quæque ingenia suscitantur, torpor ad nos, et negligentia, et veternum, ipsâ illâ futuri securitate transeant?

Ut sunt humanæ res, in quibus nihil ullâ industriâ constitui potest, quod non in aliquod difficultates incurrat, fatendum est id posse forsitàn non

omninò sine causâ metui. Ad id ne accidat, et ut, quantùm in nobis est, eatur obviam omnibus incommodis quæ nasci possent ex gratuitâ institutione, novas ipsi nobis leges, accedente regis consensu, præscribere meditamur, sub nutu et præsidio supremi senatûs parisiensis, qui boni publici perpetuus assertor et vindex, nostrarumque artium cultor pariter et tutor, academiam nostram, secum arctissimis invictæ erga reges fidei, et in tuendâ regni doctrinâ constantiæ vinculis conjunctissimam, nunquàm non efficaci ope et auctoritate sustinuit, præsertim sub eo duce, quem et sua indoles, et innatus Memmiis hominum litteratorum amor, et ratio publicæ utilitatis, cujus semper acre studium præ se tulit, non possunt nobis non facere peramicum.

Quid autem à nobis sperandum metuendumve sit, vel ipsa docere potest præteriti temporis experientia. Triginta circiter abhinc annis apud Mazarinæam domum gratuitò juventus educatur. Testor publicam fidem: an est undè illius institutionis parisinos cives pœniteat? sive doctrinæ studium, sive morum et pietatis cura spectetur, an, acribus primùm, ut ferè fit, initiis, dein incurioso fine, professorum usquàm ardor et industria tam longo intervallo vel leviter elanguit? Confidite, auditores; nihilò segniorem totius academiæ operam experietur parisina civitas.

Et verò, nihil-ne putant valitura apud nos famæ, pudoris, honoris, officii, religionis momenta? nihil publicæ opinionis reverentiam? nihil arrectam in nos studio et favore bonorum omnium expectationem? nihil arrectiores adhuc fortassè oculos æmulorum, qui omnem de nobis crescendi ansam avidè arriperent? nihil acrem vigilantiam magistratuum, sub quorum oculis et tutelâ nostras artes exercemus?

nihil severam ipsius universitatis disciplinam, cujus indè salus et fama pendebit? nihil denique sinceros grati ac memoris animi sensus, intimâ atque etiam religiosâ veneratione perfusos, erga eos principes, qui, unâ publicæ utilitatis ratione compulsi, tam singulare in nos beneficium contulerunt?

Est enim hoc beneficium per seipsum quidem ingens, et magnificum, et omni prædicatione majus: at incredibile ei apud nos pretium accedit manu et voluntate dantium.

Augustus puer, religionis et regni spes, populorum amor et deliciæ, sui principatûs exordia ab hâc in nos insigni liberalitate ducit, quâ populos docet quid de se sperare debeant. His velut illustribus primitiis ineuntem ætatem suam consecrat, edoctusque jam reges apud Evangelium *beneficos* vocari, sese ad benefaciendi consuetudinem tali rudimento exercet. Nondùm maturus ad imperandum, dando jam agit principem. Nondùm habilis sceptro gerendo manus, nec tractandis adhuc armis idonea, largiendo vires suas feliciter experitur et exerit. Denique, dùm se fingendum ad artem regnandi præstantissimis magistris tradit, peritissimos quoque totius regni juventuti præceptores parat, sibi ipse conscius quam vim habeat optima educatio.

At benignitatem per se gratam quâ dux aurelianensis comitate et affabilitate condivit, aditu facilis, sermone blandus, bonitate popularis, salvo tamen et incorrupto principis honore? Rem tantam non temerè et cæco pronæ ad benefaciendum mentis impetu (*a*), sed ratione et consilio maturè apud se de-

(*a*) Tantò laudabilior munificentia nostra fore videbatur, quòd ad illam non impetu quodam (quem ferè subitæ largitionis comes pœnitentia sequitur), sed consilio et ratione trahebamur. *Plin. p.* 9.

liberatam perfecit, expertus quantum bonæ artes regno decoris et præsidii afferre possent. Rursùs non lenti et diù cogitati muneris tarditate gratiam illius corrupit, ut ferè fit apud magnates. Parata, facilis, occurrens, immò festinans principis benignitas omnes statim obices superavit. Quin et illa stimulos ac faces addidit sponte jam currenti regiæ potestatis administro, qui non ignarus puncto sæpè temporis maximarum rerum momenta verti, commissum sibi negotium illud, quod multi anteà potentes administri, et ipse grandium cupitor et perfector Richelius, nequicquam tentârant, acri illâ et actuosâ, quâ præsertim valet, decidendi celeritate, penè citius transegit, quàm sciri posset ad eum fuisse delatum.

Ita nobis ad impetrandum tam insigne beneficium, opus non fuit apud optimum principem nec diuturnis precibus, nec acri ambitu, nec sollicitâ prensatione, nec callidis illis et furtivis artibus, quarum se omninò rudem et imperitam fateri non erubescit antiquæ simplicitatis retinens academia; nec denique, quod vix credibile est, ullis patronis et adjutoribus. Causæ nostræ æquitas, postulandi modestia, publicus bonorum omnium favor, multò magis autem insita Philippo liberalitatis munificentiæ proclivitas, non mediocriter ejus in litteras et viros litteratos amore incitata, potentissimi nobis apud ipsum patroni et adjutores extiterunt.

Quanquam, ut veriùs loquar, omnia hæc, quæ vix etiam nunc cùm facta sunt, ipsi nos, qui iis fruimur, in tali rerum cardine et difficultate temporum fieri potuisse credimus, sola procul dubio perfecit, cujus lege immobilis rerum humanarum ordo seritur, divina Providentia; quæ sic videtur nostram in colendis invictâ fide regibus observantiam, in

asserendis regni juribus ac libertatibus constantiam, in tuendâ veritate firmitatem, voluisse remunerari.

Absolvet opus suum, ut confidenter speramus, divina benignitas. Suo nos beneficio, quod sola potest, dignos præstabit. Auctis tam insigniter fortunis nostris, longè potiora adjiciet incrementa justitiæ, pietatis, religionis, sine quibus regia liberalitas nobis in perniciem verteret. Hæc nostrorum summa votorum fuit in illâ solemni universitatis supplicatione, quam suis penè convulsa sedibus parisina civitas tam inaudito singulorum ordinum concursu et applausu celebravit. Quæ vota non irrita cecidisse spondet ardens et sincera pietas illius pontificis qui tunc sequester et medius inter Dominum et nos fuit: qui, fratrum amator et populi Israel, multum orat pro populo et universâ nostrâ civitate: qui indutus loricâ justitiæ, galeâ judicii, et inexpugnabili scuto veritatis, armatusque gladio divini verbi, cum piâ turbâ sacerdotum suorum, voluntatem habentium in lege, certat bonum certamen fidei, et bella Domini cum pacificâ quidem mansuetudine, sed cum invictâ, ut speremus, animi fortitudine præliatur.

Illo duce et interprete non desinent in nostrâ universitate *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro rege, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus;* ut constet sua legibus vis et reverentia, sua principibus auctoritas, sua regno dignitas et salus, sua fidei integritas; imprimis ut regalem puerum, pretiosam hanc ex tam numerosâ principum sobole superstitem scintillam, pupillorum et orphanorum adjutor Deus, *quasi pupillam oculi sui custodiat;* ut *hunc sub umbrâ alarum suarum protegat;* ut sit ipse illi custos, præceptor, tutor, pater; ut procul ab ipso

arceat casuum humanorum et morborum pericula, multò magis autem assentationis et adulationis, quo veneno optimorum principum indoles, heu! nimiùm sæpè corrumpitur.

Hoc à te suppliciter et enixè deprecamur, quem mox vagientem in cunis adorabimus, *divine infans Jesu*. Parvulos olim, ut ad te venirent, blandis vocibus compellabas. Regem nostrum adhuc puerulum, rex ipse et puer, *prœveni in benedictionibus dulcedinis*. Trahe illum ad te in vinculis caritatis. Sicut divisiones aquarum, ita cor regum in manu tuâ est; et quòcumque volueris inclinas illud. Per te principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Da illi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sit cum illo, et semper cum illo laboret. Da servo tuo cor docile, cor sapiens et intelligens, cor perfectum, ut populum tuum judicare possit. Habeat secum, ut ipse regibus præcipis, legis tuæ volumen, legatque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere te et custodire verba tua. Discat in eo ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus; ut sciat simul ubi sit longiturnitas vitæ et victûs, ubi sit lumen oculorum, et pax. Quoniam in medio laqueorum reges in grediuntur, et est via eorum quasi lubricum in tenebris, sit illi tua lex et veritas, hoc est, sis ipse illi *lucerna*, et dux, et *consilium*. Defende illum præsertim à falsis amicis, à detractoribus, à seductoribus, qui aures principum callidâ fraude decipiunt. Fac nunquàm elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos. Justitiâ et misericordiâ sicut vestimento et diademate induatur. Sit verè et amet dici pater pauperum.

ORATIO

IN INSTAURATIONE SCHOLARUM COLLEGII SORBONÆ PLESSÆI.

Habita anno 1684. (*a*)

MIRARI sæpè solitus sum, auditores ornatissimi, et mecum attentiùs meditando quærere quidnam sit cur ex infinitâ propè multitudine hominum, qui ad eruditionis doctrinæque famam contendunt, tam pauci sint semperque fuerint quibus ista laus verè ac meritò contigisse videatur. Scilicet majus quiddam est scientia longèque præstabilius, quàm homines vulgò soleant opinari. Ad hanc opus est egregiâ et excellenti indole, ingenio acri et vivido, singulari industriâ, summâ animi et virium contentione, longo ac pertinaci labore. Hæc autem in uno aliquo homine simul reperire omnia, quàm difficile arduumque est! quàm penè hactenùs inauditum! Satis multos quidem (fatendum est enim, neque hæc facienda aut naturæ ipsi, aut ætati nostræ injuria est, ut existimemus ingenia hominum longâ annorum serie tractuque temporis extenuari sensim atque evanescere: quasi verò divina prorsùs illa vis ingeniorum, et ab ipsius, ut ita dicam, naturâ Dei hausta ac delibata, posset unquàm ullâ vetustate confici); satis multos igitur ad maximas quasque artes natura fingit habiles atque aptos. Verùm hanc in se vim homines aut ipsi non agnoscunt, aut incuriâ perire sinunt, aut in vanis inani-

(*a*) *Ce discours fut prononcé par M. Rollin lorsqu'il entra en exercice de la régence.*

busque nugis plerique consumunt. Putant ingenium, etiamsi nec labore excolitur, nec alitur industriâ, satis ipsum suis valere viribus. Accedunt ad studia lentè, frigidè, oscitanter; quasi aliud omninò agentes, non satis animo et cogitatione complexi illius rei magnitudinem ad quam aspirant; adeòque non satis illius appetentes atque avidi; aliis mille occupati curis, cupiditatibusque impediti; semper respectantes ad suas voluptates et delicias, semper ad spem fortunæ amplioris et faciendæ rei curam toto animo attenti atque erecti. Ita variâ et multiplici contentione distracta mens, quid mirum si nunquàm possit veram solidamque doctrinæ laudem assequi, cujus immensa quædam infinitas infinitatem quamdam laboris diligentiæque desiderat? Verùm superest adhuc aliud quiddam quo fit ut tanta paucitas hominum verè doctorum semper extiterit. Quidnam porrò illud est, auditores? Nimirùm plerique nescio quomodò in hoc errore versamur, studia virtutis et scientiæ parùm inter se congruere, immò etiam quodammodò sibi invicem adversari: cùm tamen constet, sic ista inter se arctissimis esse conjuncta vinculis, ut sine virtute haberi quidem fortassè possit umbra doctrinæ; doctrina verò ipsa, qualem quærimus, hoc est germana, solida, constans, haberi, profectò neutiquàm possit.

Cùm magnam esse contendo pietatis ac doctrinæ affinitatem et quasi cognationem, nolim id ita intelligi, ut virtute prædíti qui sint, iis continuò summa doctrinæ laus tribuatur. Inest in ejusmodi hominibus alia quædam excellentior multò sublimiorque scientia, quæ non ingenii viribus elicita, non accersita studio, non quæsita laboribus; sed ex ipso, si fas ita loqui, Dei immortalis sinu subitò arrepta

expressaque feliciter, nihil prorsùs habet humanæ imbecillitatis; quæ peritura bona fluxasque res non fallaci et fucato splendore metiens, sed (quæ vera scientia est) ex ipsius rei veritate æstimans, humana omnia, quæ nos tanti facimus, divitias, honores, voluptates, nugas putat: quæ supra cognitionem rerum terrestrium et caducarum longè assurgens, Deum contemplatur unum; hujus unius cognitione placidè fruitur, pascitur, occupatur. *Beatus quem tu sic erudieris, Domine! Beatus homo qui te scit, etiamsi alia nesciat: infelix autem, qui scit alia omnia, te autem nescit!*

Verùm non ago nunc de hujus cœlestis genere doctrinæ. Loquor de istâ scientiâ quæ in investigatione naturæ, et cæterarum tractatione artium tota versatur; quæ quanquam ipsa quoque à Deo pendet, hominis tamen labore etiam atque industriâ nititur. Contendo igitur rursùm, virtute qui careat, negligatque studia pietatis, fieri non posse ut unquàm veram perfectamque doctrinam assequatur; juxta illud regis post hominum memoriam sapientissimi oraculum: *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

Ita est, auditores, in malevolam animam non introibit sapientia. Et verò quî posset illa comes otii et amica pacis sapientia existere in medio tumultu cupiditatum, quibus malevola anima totidem veluti procellis continuò agitatur? Ad studia doctrinæ quicumque accedit, hoc apprimè sibi necessarium esse cogitet, mentem ut afferat et perturbationis expertem, et ab omni curâ negotioque liberam. Cùm enim ea sit rerum discendarum multitudo atque immensitas, ut quamvis acrem diligentiam animique contentionem facilè absorbeat, sic in illo

semel suscepto opere se totum includat necesse est; sic in illo uno spes, curas, cogitationes, labores terminet suos, ut illum à studio discendi nec insana divitiarum cupido retrahat, nec blandæ voluptatum illecebræ avertant, nec cæca honorum ambitio retardet. Exercitatio litterarum summam animi tranquillitatem quietemque desiderat, strepitum autem ac turbam fugit. Hinc fieri videmus ut, statim atque increpuit suspicio tumultûs sonitusque bellorum, excutiantur nobis è manibus præclara studia, artesque illicò nostræ conticescant.

Porrò quod bellum huic seditioni par, quam excitant in animis nostris tumultuosæ cupiditates? Fingite, quæso vobis, auditores, fingite hominem qui non habeat domitas rationis imperio compressasque libidines; qui totum se tradat mancipetque vitiis; quem aut avaritia sollicitet, aut libido pungat, aut stimulet ambitio, aut urat invidia; quem nulla denique nec officii ratio moveat, nec tangat cura pietatis: hæc est enim malevola anima.

Quid iste homo efficere magnum, quid arduum tentare possit? Nonne si quid fortè habeat à naturâ boni, id morum perversitate corruptum, totque vitiis obrutum deficit atque extinguitur? Nonne, si ejus animus contendere paulò altiùs enitique voluerit, statim deprimitur ad terram gravi pondere affectuum, quibus parere cogitur, quia imperare nescit? Nonne, si ad scribendum aut meditandum accingat se, animumque intendat acriter, repentè incurrens cogitatio, vel deliciarum quibus avidè inhiat; vel honorum, quos ardenter appetit; vel divitiarum, quibus coacervandis anxiè studet; hunc in ipso æstu et ardore mentis inopinantem subitò frangit, intercipit, transversum agit?

Quid interim homo vitæ integer scelerisque purus? Uni præcipuè intentus Deo, ad quem nimirùm per labores suos et studia semper affectat viam; nunquàm declinans ab officii religione et curâ virtutis; intra suum munus semetipse coarctans et definiens, totus incumbit in eas res quarum sibi cognitionem assumpsit. Hujus quieta mens et placida nihil in se admittit turbulentum; non patet illa ludibrio fortunæ; non obnoxia est inconstantiæ atque levitati; non extrà seipsam quodammodò convulsa violentis affectibus, huc atque illuc incerta errat et vagatur: suarum dominatrix, et, ut ita dicam, regina cupiditatum, semperque nativæ retinens et memor nobilitatis: neque labis quidquam aut gravitatis ducens ab terreni contagione corporis; ex illo suo carcere, in quo adhuc inclusa remanet, celsissimas quasque res maximèque arduas placidè contemplatur; maria, terras, cœlum, cuncta peragrat; abstrusas rerum causas et latentes curiosè inquirit, sagaciter rimatur, feliciter eruit. An ejusmodi opportunitates, quas ad doctrinam habet vita integra atque innocens, recipere potest vitiorum fœditate inquinata mens?

Neque verò solùm tranquillitatem ac quietem studiis adeò necessariam abrumpunt insanæ illæ cupiditates; sed hebetant quoque non mediocriter aciem ingenii, caliginemque ei densissimam offundunt. Nam cùm multa et gravia infandum Adami scelus incommoda pestesque consecutæ sunt, tùm verò nullam, secundùm iram odiumque numinis, aut acerbiorem peccati pœnam luit primævus parens, aut tristiorem humano generi calamitatem intulit, quàm fatalem hanc et nunquàm satis lugendam animi cæcitatem. Neque enim illa gravitas, quâ in medio sæpè conatu tardatur humana mens; torpor

ille et incredibilis stupor, quò fit interdùm ut in facillimis quibusque rebus animus diù anceps hæreat, secumque ipse luctetur; caligo illa et obscuritas, quibus involutus homo plerumquè cæcutit erratque turpiter; hæc omnia non sunt innata nobis atque insita. Undènam igitur hæc in nos derivata fluxerunt? Merces illa nimirùm fuit, infelix Adam, temeritatis in Deum tuæ? hæc præcipua pars infaustæ hæreditatis, quam posteris tuis miserâ et ineluctabili necessitate reliquisti! Verùm his tot tantisque incommodis, quæ conditioni nostræ illata adjunctaque sunt, eique necessariò jam adhærent, si nova ipsi insuper astruamus, quæ obscuritas, quæ tenebræ, quæ nox in animis nostris versabitur! In hâc autem nocte et caligine, quæso vos, quî poterit unquàm insidere scientia, quâ noster animus debet suo tanquàm sole et lumine collustrari?

Vultis, auditores, proponam vobis, oculisque vestris subjiciam illustre hujus cæcitatis exemplum? Agnoscite in uno eodemque homine quàm sterilis sit atque irritus sine pietatis studio labor; quàm verò idem fecundus et efficax, cùm virtute innixus auctorem et ducem sequitur Deum. Augustinum intelligo, in cujus laudem hoc tantùm dicam, quo quidem uno cætera complectar omnia, fuisse hunc christianæ religionis, quam scriptis illustravit ac defendit suis, magnitudine ac majestate dignum; si tamen cælestis prorsùs ac divinæ religionis majestati par esse quidquam in terris potest. Verùm, ut ait ipse de se, *quid est homo sine te, bone Deus, nisi dux in præceps?*

Homo adolescens, egregiâ spe, felici cùm ad virtutem tùm ad scientiam indole, capaci rerum omnium maximarum ingenio, singulari industriâ,

judicio supra ætatem maturiore, omnibus denique naturæ muneribus ac præsidiis paratissimus atque instructissimus, accedit ad studia litterarum. Audite, adolescentes, quos huc adduxit cupiditas discendi, audite quanti ad investigationem doctrinæ, totiusque deinceps vitæ honestatem intersit à teneris assuescere virtuti, nec pravis vitiorum elementis et pestiferâ disciplinâ imbui. Corruptus nimiâ in se parentum indulgentiâ, quæ prima solet esse in pueris causa mali, enervatus molliori educatione, quæ vires omnes pariter mentis et corporis frangit; otio segnitieque totus diffluens; inter perniciosa undique æqualium exempla constitutus, rem lubricam? ingenio ut docili ad virtutem, sic ad prava facili cereoque, ut ita dicam, flecti in vitium, quodque, in utramvis partem sequeretur, natum esset excellere; felix si sua eum fortuna applicuisset ad bonos! denique abreptus insano æstu perversæ consuetudinis præceps in omnia vitiorum genera ruit, penitùsque se iis immersit, quasi timeret ab aliis improbitate superari.

Legistis profectò admirabiles illos Augustini libros, qui in omnium manibus versantur, in quibus, veluti quâdam in tabellâ præstantissimus ille vir et longè supra laudem omnem positus, imaginem vitæ suæ universam suâ ipse manu non adumbratam leviter, sed ad vivum expressam reliquit.

In illis pueritiæ adolescentiæque fluctibus, Deus immortalis! quæ tenebræ! qui errores! quæ jactatio! In tam violentis turbinibus ac procellis miserum juvenem repentè deficit ingenii lux. Suo quasi sidere destitutus, huc et illuc fluctuat, omnique doctrinæ vento circumfertur. Laborans et æstuans inopiâ veri (ipsius verba sunt) incidit in homines superbè deli-

rantes; quorum doctrina meræ nugæ, mera sommia, meræ insaniæ. Cæcos duces cæcus ipse sequitur: horum se disciplinæ tradit applicatque totum; horum pestilentem haurit doctrinam; horum mendaciis et deliramentis implet pascitque mentem, avidam illam quidem veritatis et sapientiæ, sed nondùm illarum patientem, propter vitæ sordes, et fœdas intemperantis animi libidines. Similis homini per obscuræ noctis atram caliginem eunti, passim titubat, offendit, ruit. Fit crebra mutatio erroris, non ingenii. Placent omnia, ac subindè displicent; probat, damnat; fastidit, appetit: denique omnibus et sibimet gravis, nec morbum ipsum nec morbi remedium pati potest. Habetis, auditores, Augustinum sibi relictum, aut potiùs habetis imaginem humanæ imbecillitatis.

Ex illo errorum gurgite cœnoque vitiorum ex quo assurgere sæpè conatus erat, sed vanis languidisque conatibus, quales solent esse somniantium; tandem aliquandò ipsa quasi numinis manu extractus atque evulsus, lucem amicam cœpit intueri veritatis. Sic verò immutatus derepentè totus est, ut in Augustino ipso Augustinum quæreres. Mirari ipse, obstupescere, vix agnoscere se. Respiciens in errores suos et tenebras, quas, ut Scripturæ verbis utar, *fascinatio nugacitatis* intueri hucusque vetuerat, vix intelligebat quî potuisset ex tam horrendâ nocte et tenebris aliquandò emergere. Exindè quasi diuturnæ cæcitatis resarcire damna properaret, sic exarsit studio veritatis, sic illam amplexus est, sic illi adhæsit firmiter, nullum ut unquàm religio christiana habuerit acriorem suî defensorem ac vindicem.

Paulò fortassè diutiùs, quàm par erat, in hoc exemplo immoratus sum; sed præterquàm quòd

nihil esse duxi illò efficacius ad excitandos juvenes ad virtutem, eosdemque à vitio deterrendos, visum est illud exemplum esse ejusmodi, quo uno meliùs, quàm quibuslibet argumentis, confirmari posset allata hæc à me sententia Salomonis: *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

Frustrà igitur, auditores, ad scientiam ingenio, labore, industriâ nitimur, nisi totius operis Deum adhibeamus ducem. Instrumenta sunt illa quidem et subsidia doctrinæ: sed, quemadmodùm terra quamvis fertilis, quamvis diligenter subacta et exculta, nihil tamen fructùs dabit, nisi prætereà cœlesti rore perfundantur: sic ad ingenii bonitatem laborisque pertinaciam nisi accedat obsecundantis numinis favor, operam perdimus.

Undènam fieri putatis, ut plerique homines tantâ contentione, tantis conatibus nihil aut certè parùm in litteris proficiant? Frustrà scilicet homo plantat, frustrà irrigat, nisi det incrementum Deus. Sibi tamen illi interim quâ cæcitate sunt, quasi summam doctrinæ laudem ac gloriam assecutis, superbè confidenterque gratulantur. Sed quod de viris divitiarum sacra Scriptura, idem nos de illis jure dixerimus: *dormierunt somnum, et nihil invenerunt viri scientiarum in manibus suis.*

Verè dormierunt somnum suum. Quid enim aliud vita omnis illorum est, nisi perpetuus quidam sopor, quo oppressi multa se agere putant, cùm tamen reverà sint otiosi. Ut avari nummis, sic illi libris assiduè incumbunt, impallescunt, immoriuntur: speciem atque larvam doctrinæ pro doctrinâ ipsâ persequuntur anxiè, avidèque captant: ut apprehendant illam, continuo se labore torquent et ex-

cruciant; hanc cùm tenent, vanâ suî opinione inflati ac tumentes, sibi ipsis arroganter blandiuntur, se solos eruditos ac sapientes putant: cæteros præ se despiciunt ac contemnunt omnes. En soporem, en somnum!

At ille tandem repentino mortis incursu solvitur. Tum verò, quemadmodùm qui per noctem thesauris incubare se cogitat, excusso repentè somno, attonitus videt omnia evanuisse, suisque illicò divitiis exutus, ex nocturnâ opulentiâ reliqui habet omninò nihil, præter obscuram tristemque memoriam fugitivæ felicitatis, præsentis autem miseriæ veræque paupertatis sensum acriorem: ita quos inani doctrinæ fumo pastos vanus error diù luserat, et quasi sopitos tenuerat, tùm demùm apertis oculis incipiunt agnoscere se pro veritate mendacium, pro corpore umbram, pro luce tenebras esse amplexos: *et nihil invenerunt in manibus suis.*

Dominus quippè dat sapientiam, et ex ore ejus prudentia et scientia. Deus scientiarum Dominus. Neque est quòd antiqui illi homines per seipsi, absque præsidio numinis, docti extitisse dicantur. In illorum quidem operibus emicant scintillæ quædam veritatis: sive has elicuerit ipsa vis excellentis ingenii, quod certè Dei munus est, sive merces illa qualiscumque fuerit eorum virtutis, fuit enim aliqua in nonnullis, licèt humana; sive denique eorum operâ voluerit uti Deus ad propagandas artes latiùs posterisque transmittendas; ut ut sit, fateamur oportet, hisce hominibus plurimùm debere nos. Sed qui in nonnullis rebus cernebant acutissimè, cœcutiebant iidem in aliis longè gravissimis, et, quod turpissimum homini scienti est, in summâ ipsius numinis ignoratione versabantur. Ita si qua

lux veritatis iis affulsit, id quod negari non potest, fuit illa vel nocturnorum instar ignium qui viatores maligno fulgore deceptos in præcipitia ducunt, vel instar fulguris, ex cujus brevi et repentino splendore tenebræ existunt multò quàm anteà densiores.

Quæ cùm ita sint, adolescentes, ad vos enim hæc nostra maximè pertinet oratio, cùm nec in medio cupiditatum tumultu versari possit scientia, quia placida tranquillaque est; nec tenebras pati, individuas comites perversarum libidinum, quia solis instar menti lucem affert; nec aliundè in nos quàm ab ipso Deo fluere, quia cœleste munus est prorsùsque divinum: quid vobis ad egregiam doctrinæ laudem contendentibus aliud agendum est, nisi ut cùm diligenter fugiatis vitia omnia, quippè quæ non parùm obstent desiderio vestro; tùm verò ipsam, sine quâ scientia haberi nulla potest, virtutem ac pietatem omni studio amplectamini.

Virtutem cùm dico, adolescentes, non intelligo eam quæ horrida sit atque atrox, morosa et tristis, intractabilis et dura; non eam quæ molli involuta et quasi sepulta otio, lucem conspectumque fugiat, amet autem in tenebris ignota delitescere: non eam denique quæ tota in specie posita, tota simulatione constans, tempus terat coacervandis et obscurè mussitandis prolixioribus precum formulis, in quarum multiloquio non deest plerumquè vanitas; piisque nugis quàm ambitiosè tam inaniter occupetur. Hæc absit ut à vobis desiderem. Neque rursùs pietatis nomine intelligo necessum esse ut se quis abdat penitùs in claustra solitudinum, et in illis quasi sepulcris vivum spirantemque se contumulet. (Quanquam felices, quos in hæc asyla sanctitatis non inconsultus et juvenilis ardor; non temerarius et

præceps pietatis subitò effervescentis impetus, non fuga laboris et ignavæ quietis amor: sed quos terrestrium rerum constans fastidium et contemptus, quos desiderium ardens collium æternorum, quos, ut olim in deserta Christum, ipse Dei spiritus agit atque impellit. Verùm à vobis ista non quæruntur.)

Quænam sunt igitur vera germanæ solidæque pietatis officia, quæ in studiorum exercitatione christianum adolescentem decent? Deum imprimis ut amet ex animo, colat, veneretur; ut virtutis et officii tenax, pejus letho flagitium putet; ut adjunctum conditioni suæ laborem non tanquam impositum ab hominibus aut rejiciat superbè, aut morosè cunctanterque subeat; sed ut ab ipso imperatum Deo alacriter suscipiat, et impigrè exequatur.

Hunc si animum hodiè affertis ad nos, eumdemque posteà constanter retinebitis, benè est, adolescentes. Polliceor, spondeo, in me recipio fore ut laboris vestri fructum capiatis uberrimum. Curæ modò sit Christum, quo ego et vos duce, præceptore ac magistro perindè utemur, his crebrò inter studia compellare vocibus: *bonitatem et disciplinam et scientiam doce nos*.

ORATIUNCULÆ.

ORATIUNCULA

HABITA IN INSTAURATIONE SCHOLARUM.

Affero ad vos ex rusticâ peregrinatione non longam orationem, auditores; sed, quod potius duco, valetudinem firmam atque integram. Ausus non ita pridem, temerè magis fortassè quàm prudenter, facere periculum virium mearum in laudando regum maximo, jam tùm sic existimavi, hanc laboris mercedem à vobis mihi facilè concessum iri, ut solemne laudum vectigal quod singulis annis reginæ artium eloquentiæ à rhetore debetur, in hâc instauratione scholarum ei non persolverem. Atque ita, quod nunquàm anteà potueram assequi, id mihi tandem hoc anno contigit, ut importuno scribendi onere exsolutus, ex urbe rus evolarem libero tranquilloque animo, et feriarum tempus, quantulumcumque illud est, visum est enim perbreve, totum in reficiendis otio viribus collocarem. Non igitur hodie pro solito more conquerar, ferias parte suî maximâ et jucundissimâ truncatas esse atque mutilatas. Apposuimus lucro pauculos istos dies, eosque otiando, rusticando, ambulando, peregrinando bellè consumpsimus.

Ea interim vidimus, quorum superstes cogitatiō, altèque infixa mentibus admiratio animos nostros etiamnùm quàm suavissimè recreat. Contemplati sumus avidè et otiosè stupendas illas moles, quibus Ludovicus Magnus, ut hostium sic naturæ victor, per longa agrorum spatia, per aspera locorum, per montium altitudines, per profunditates vallium, penè dicam, per medium aërem, novo flumini novam molitus est viam. Nunc quidem interrupta pendent opera, propter repentinos belli apparatus. At faxit belli pacisque summus arbiter Deus, ut restitutâ pace toti Europæ, quam terror iste subitus latè consternat universam, brevì redeant incruentis manibus ad intermissum opus nostri milites, neque deinceps ullum aliud bellum quàm cum naturâ gerant; nullos nisi ex eâ triumphos reportent, laurosque suo tantùm sudore tinctas colligant. Tunc absoluto demùm opere, quis non stupebit, cùm intuebitur regium amnem ab ortu suo ad Versalias usque valles per milliaria ampliùs quadraginta deductum, modò æquâ planitie ferri excavato recèns alveo, modò, veluti terrâ repentè absorptum per occultos canales et subterraneos meatus, ex altis montibus in ima vallium præcipitem labi, et indè eodem tenore non vi coactum, non arte adjutum, non protrusum machinis, sed proprio et naturali actum impetu, in aliorum juga montium rursùs emergere; mox per arduum pontem et stratas pulchro lapide vias evectos altè, et, ut ita dicam, pensiles fluctus non sine quâdam superbiâ volvere; denique, post longum iter, admissum tandem in Versaliam, adductas è longinquo et quasi vectigales aquas ultrò offerre domino loci, et in mille diductum rivulos, in varias mutatum formas, hortum totius mundi

pulcherrimum peregrinis quidem sed valdè pretiosis fontibus irrigare? Hæc nos tantummodò inchoata vidimus; et tamen sic stupore defixi hærebamus, vix ut oculis ipsimet nostris possemus credere.

Putabam ejusmodi spectaculo omnem omninò consumptam esse penitùsque exhaustam admirationem, nec ad tantam rem posse quidquam accedere: fallebar, auditores. Supererat aliud in diversâ parte longè illustrius, longèque majori dignum admiratione spectaculum, Oceanus. Dicam enim liberè quod sentio: illa operum magnificentia, immensæ moles munitionum, aggerum, substructionum; depressi montes, adæquatæ solo valles, amnes è suo alveo in alienum detorti; ista omnia, si cum Oceano comparentur, nulla sunt. Ita est, auditores; ista omnia vel uno maris fluctu longè superantur, penitùsque obruuntur. Hoc nempè opus hominis est, illud verò Dei, *qui facit mirabilia magna solus.*

Occurrebant alia quidem benè multa, quæ cum pulchritudine suâ, tum etiam, ut vulgò fit, novitate oculos in se nostros converterent, portûs amplitudo, navium forma, elegantia, nitor; projecti in mare aggeris longitudo; sed tamen littus maris, brutum licèt et asperum, nos ad se continuò revocabat; nec nisi ægrè poteram ab eo divelli. Amabam illuc iterùm atque iterùm reverti; usque et usque contemplari admirabilem illam infinitatem aquarum, in quâ tanquàm in speculo præpotentis Dei celsa majestas tam clarè cernitur. Ac mihi quidem juxta littus erranti veniebat sæpè in mentem Scipionis et Lælii, quos aiunt, exutâ senili gravitate, ultròque senatoriâ majestate depositâ, solitos esse animi relaxandi causâ conchas et umbilicos ad

Lucrinum legere. Nos juvabat velle frustrà metiri oculis immensam latè patentis in omnes partes Oceani vastitatem. Ludus erat, contentâ acriter acie oculorum, certare quis dissitas longè naves medioque fluctuantes Oceano per longa interjecta spatia atque interjacentes umbras, tanquam inter nubes, primus apprehenderit. At imprimis non poteram satiare me admirando æstus maritimos statis quibusdam horis certisque legibus accedentes et recedentes. Afficiebar incredibili voluptate cùm intuerer longè venientes tumidos fluctus, aliosque aliis impositos magno impetu per loca confragosa ferri, et repentè ad arenam cum ingenti fragore fractos et in spumam elisos redire in seipsos placidè, subitoquè evanescere. Diceres pelagus, quasi conspecto in arenâ Dei digito, revereri supremam conditoris sui majestatem, trepidumque repentè refugere, memor scilicet illius edicti, quod in ipso mundi nascentis ortu semel acceptum inviolatè servat: *usque huc venies, et non procedes ampliùs, et hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Certè cùm ita subitò recedentes suâ sponte fluctus videbam, libebat exclamare: *quid est tibi, mare, quòd fugisti?*

Hæ sunt innocuæ eædemque jucundissimæ voluptates, quæ mihi molestiam absterserunt omnem præteriti laboris, vegetumque et alacrem ad novos labores exsorbendos effecerunt. Vestrum est, adolescentes, iisdem quoque animis ad repetenda studia accedere. Si unquàm, hoc certè anno, opus est vobis ardore, studio, alacritate ad discendum. Eloquentiam quæritis, hoc est ut pulcherrimam artium omnium, sic et longè difficillimam. Velim igitur vos inter meque exardescat pulchra contentio laboris ac diligentiæ, ut et vos scholæ nostræ dignita-

tem, et ego hujus palæstræ nomen sustinere possim; atque ita utrinque concordibus studiis laudem famamque tueamur academiæ principis, quam ubicumque florentem non solùm sine invidiâ, sed etiam cum gaudio intuebor. Dixi.

ORATIUNCULA

Habita ad honorandam Gallorum nationem, cùm nominandus esset ab eâ pastor parochiæ SS. Cosmæ et Damiani (a).

A SACRO crucis signaculo et invocatione sanctissimæ Trinitatis auspicanda censui hæc comitia, sapientissimi decani, proceres academici, quæ tota ad Christum, ad Ecclesiam, ad religionem pertinent. Nemo vestrûm ignorat agi nunc de substituendo pastore in locum demortui clarissimi viri M. Nicol. *Berbis*, qui dùm viveret, præerat parochiæ SS. Cosmæ et Damiani.

Aiebat olim piè non magis quàm ingeniosè perillustris regina, cupere se ut toto regni sui tempore, si fieri posset, immortales essent episcopi, ne scilicet eos designandi formidanda necessitas sibi incumberet. Cuperem pariter, pace vestrâ dixerim, proceres academici, ut ad alios devolutæ essent vices eligendi orbæ Ecclesiæ pastoris, nec suffragiis nostris commissa esset res tam periculosa, tam anceps, tam lubrica, tanti ad æternam salutem momenti. Non enim hodiernæ deliberationi nostræ vulgare quid et solitum proponitur, ubi possit esse aliquis vel amicitiæ, vel commendationi, vel ulli humano affectui locus.

Agitur omninò divina res : agitur salus anima-

(a) *M. Rollin étoit procureur de la nation de France lorsqu'il prononça ce discours.*

rum : agitur Christi ipsius hæreditas. Summus ille pastor vestris hodiè suffragiis commendat traditas sibi à patre oves, quas suo sanguine redemit, quas hîc suo corpore pascit, quibus seipsum mercedem in cœlo destinat. Exigit ille à vobis, non solùm ut eas non tradatis homini indigno, quod longè abest à religione vestrâ. (*Quicumque autem pro se postulat beneficium, cui annexa est animarum cura, ex ipsâ præsumptione redditur indignus.* Sunt hæc ipsamet verba ex articulis Sorbonæ recèns editis exscripta, ut et quæ sequuntur : quæ diligenter attendatis velim ; paucis enim vocibus nobis officium nostrum præscribunt, quod non humanâ lege aliquâ, sed naturali atque adeò inviolabili jure nititur. *Beneficia ecclesiastica semper conferenda sunt dignioribus, seu ad illa magis idoneis ; præsertim ubi annexa est animarum cura.... Qui secùs fecerint, peccati gravis rei sunt.*) Exigit igitur Christus à vobis, non solùm ut oves suas non tradatis homini indigno ; non solùm ut eas homini probo, homini pio, homini digno committatis ; quæ quamvis magna et rara sint, non sufficiunt tamen : sed ut optimum quemque, sanctissimum quemque, dignissimum quemque præficiatis huic muneri, quem vos talem bonâ fide, et ex intimâ animi conscientiâ, sine ullo humani affectûs præjudicio noveritis : in quo perspecta jamdudùm fuerit aliena mens à lucro, à fastu, à superbiâ, à deliciis ; cujus benè nota sit indoles in sublevandis pauperibus munifica et liberalis ; cui insit non mediocris rerum ecclesiasticarum scientia, promptaque et expedita dicendi vis, *ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, et eos qui contradicunt arguere ;* qui sit christianâ prudentis animi solertiâ præditus, ut possit in varias se formas vertere, omnia fieri ad lucrandas ani-

mas; præter hæc autem, et super hæc omnia, in quo sit sincera et fervens pietas, zelus ingens salutis animarum, studium acre veritatis, ardens amor Christi, et sponsæ ejus Ecclesiæ.

Scio ex ipsâ nostrâ natione, feracissimâ præstantium in omni genere virorum, ejusmodi pastorem eligi posse; cupioque vehementer ut ita res succedat. Sed si quid obstiterit quominùs qui ex nostris, dignissimi videbuntur, à vobis designari possint, et forìs occurrant digniores, oro obtestorque vos, proceres academici, per conscientiam vestram, per spem salutis æternæ quæ indè pendet, per sanguinem animarum quem de manu vestrâ requiret Deus, ut ne intra angustos vel nationis vel academiæ nostræ fines hærendum esse arbitremini. Revocate in animum egregiam illam vocem imperatoris romani, dignam sanè immortali seculorum omnium memoriâ. Galbam intelligo, cùm Pisonem adoptaret. *Augustus,* inquiebat ille Pisonem alloquens, *in domo successorem quæsivit; ego in republicâ.... Est tibi frater pari nobilitate, natu major, dignus hâc fortunâ, nisi tu potior esses.* Videtis ab eo non dignum modò, sed digniorem; eumque non intra familiæ limites, sed in toto imperio quæri. Pudeat nos, homines christianos, minùs recta, minùs generosa pro Christo sapere, quàm principem ethnicum pro humanâ gloriâ.

Expectat arrectâ spe et votis tota civitas, quale vos, qui estis magistri in Israël, cæterisque ad pietatem instituendis destinati, quale vos exemplum, in negotio certè ad religionem pertinente, daturi sitis. Expectat imprimis non sine gravi curâ et sollicitudine hujus nostræ deliberationis exitum, quo nos pastore et patre gloriamur, eminentissimus

cardinalis Noallius. Significatum ille vobis per me voluit quanti totam universitatem, quanti præclaram facultatem artium, quanti peculiariter faceret honorandam Gallorum nationem, cujus maxima pars è suis ovibus constaret; vestra sibi jura, vestra privilegia fuisse hactenùs et fore semper pretiosissima; ea illæsa atque illibata servari velle, ideòque neminem à se ne levi quidem indicio designari, ne quid libertati vestræ detractum esse videatur: unum se modò à vobis, pro suo munere pastoris et patris, unum se à vobis enixè ac vehementer iterùm atque iterùm postulare, ut velitis vacanti Ecclesiæ pastorem eligere quàm fieri poterit dignissimum.

Eadem vobis à magistratibus libertas relinquitur, nec stabit per illos quominùs religionem vestram et conscientiam ducem sequamini. Senatùs princeps illustrissimus, sub cujus auctoritatis umbrâ sibi vires et præsidium ambitus quæsierat, ipse auctor, impulsor, adhortator fuit, ut tam grave munus, tantique ad salutem animarum momenti, nonnisi optimo et dignissimo cuique nostra natio conferret, eique suum suffragium, suam omnem, quamcumque apud vos obtineret, gratiam astipulari voluit.

Erit mirus iste principum utriusque ordinis consensus documentum illustre posteris, ne vel magnates deliberationibus nostris suam interponere auctoritatem velint, quarum moderatrix una debet esse religio; vel nos magnatum prensationibus fidem et conscientiam nostram convelli patiamur.

Secedite igitur, sapientissimi decani proceres academici, in vestras tribus, de proposito negotio deliberaturi, postquàm tamen audieritis æquissimum censorem, et brevi oratione sancti Spiritûs opem imploraverimus; memineritisque Christum vestris deliberationibus testem et judicem interesse.

PRIMA SUPPLICATIO

APUD SORBONAM.

16 decembr. 1694.

Incidimus in ea tempora, auditores, quæ, si unquàm, certè nunc haberi solemnem de more supplicationem maximè flagitant. Ingruerant jampridem in nos, et etiamnùm maximâ ex parte incumbunt gravissima omnium malorum, quibus conflictari humana conditio potest, bellum atrox, tristis egestas, dira morborum lues, rerum verò academicarum status profectò miserabilis : quæ si quis ab divinâ in nos irâ proficisci dubitet, is non solùm communi sensu, sed etiam religione careat necesse est.

Non est ejusmodi bellum hoc, quo nunc Europam videmus omnem conflagrare, qualia fortassè antehac plurima extiterunt, quæ ab exiguis profecta initiis invaluerunt paulatim, tandemque ipso tractu temporis debilitata faciles exitus habuere. Conceptum clam et quasi in tenebris furtim alitum hujus belli incendium exarsit derepentè eâ vi eoque impetu, vix ut durare diutiùs posse videretur. Tota ferè in nos armata subitò et suis quasi convulsa sedibus Europa; Angli, Batavi, Germani, Hispani communibus odiis armisque Galliam nostram impetentes; constrata utrinque formidando classium apparatu maria; vastatæ hostium florentissimæ provinciæ, diruta solo oppida, in vastam et atram solitudinem conversa Germanorum opulentissima regio;

hæc cruenti belli præludia. Nec dispar exitus. Quantùm indè terrâ marique fusum sanguinis! Quot millia mortalium ferro absumpta! Quis annus, quis locus, quod flumen non insigni aliquâ hostium clade nobilitatum est? At cruor, cædes, direptiones, classium incendia, urbium ruinæ, agrorum vastationes, hæc omnia totidem quasi nutrimenta belli sunt, quibus alitur, quibus fovetur, quibus in dies magis ac magis recrudescit, tantus divinâ irâ populorum animos furor, tanta rabies occupavit! Neque tam atrocis belli finis aut exitus apparet. Humanæ providentiæ clausa, abrupta, desperata omnia videntur, nisi placatus bonorum precibus ac lacrymis Deus ipse tandem succurrat.

Poterant tamen utcumque æquo animo ista belli incommoda tolerari: immò juvabat etiam pro majestate regum, pro sanctitate religionis, pro salute Ludovici a quâ nostra pendet, pro ipsâ incolumitate Galliæ aliquid perpeti; quanquam singulari prudentiâ et virtute Ludovici nondùm ferè ad nos pervenerat sensus tot malorum. At invecta derepentè unius anni calamitas improvisâ frumenti caritate et inopiâ, omnia subitò prostravit. Atque ut prophetæ verbis utar: *Vindemiavit nos Dominus in die iræ furoris sui. Omnis populus gemens et quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Defecerunt præ lacrymis oculi nostri, conturbata sunt viscera nostra, effusum est in terrâ jecur nostrum super contritione populi, cùm deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi. Matribus suis dixerunt; Ubi est triticum? cùm deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis: cùm exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. Vidit afflictionem nostram,*

et misertus est. At supersunt adhuc et aliquandiù supererunt quasi cicatrices et vestigia vulnerum ab irato Deo nobis inflictorum.

Agros, urbes, provincias latè pervagata est, penè dixi, populata est egestas atque inopia. Neque deflenda tantùm calamitas eorum hominum, quos videmus gregatim circuire compita, circumferre flebiliter per oculos et ora civium paupertatem suam, obsidere fores, persequi nos per vias, in ipsa templa grassari, et improbis clamoribus interrumpere ipsa sacra malè pertinaces. Deploranda multò magis paupertas quæ muta silet, quæ in tenebris obscura se abscondit, quæ lucem turbamque fugitat. Scilicet induratæ illæ quotidianis laboribus opificum manus, et solitæ antehac honestis sudoribus uxori ac liberis victum quæritare; otiosæ jam ac vacantes ob calamitatem temporum, nequeunt ostiatim ad emendicandum panem turpiter porrigi. Ita sæpè inter famelicos liberorum greges, cum dolore et occultis gemitibus, in silentio sæva toleratur fames. Neque illic constitit paupertas: penetravit etiam opulentissimas domos, et in ipso luxu vestimentorum ac superbarum ædium magnificentia delitescit. Hoc autem cœlestis iræ flagellum esse, si ignoramus miseri; si negligimus impii.

Quid! morborum ista vis ac quædam veluti contagio quæ, per urbes et agros aliquandiù grassata, crebris ac plerisque etiam repentinis funeribus penè singulas penetravit domos, nonne apertè clamat sævire in nos iram supremi numinis, nostrisque cervicibus aggravatam incumbere ultricem ipsius manum? Quis non per hosce menses privatam expertus jacturam est? Quis non doluit ereptum sibi aliquem

subitâ nec opinâ morte ex affinibus aut amicis? Circumsonant quotidiè aures nostræ tristibus nunciis de morte aut periculo propinquorum. *Verè nunc circumdederunt nos dolores mortis, et pericula inferni invenerunt nos.* Quodnam autem cœlestis iræ majus indicium quàm quòd fatalis illa morborum procella incubuerit præsertim sanctissimis Ecclesiæ ministris, raptisque aliquot in locis velut turbine aliquo pastoribus, mœrentes ac desolatos greges afflixerit. Equidem cùm crebras illas audio mortes sacerdotum Dei sanctissimorum, cernere mihi videor in manibus vastatoris angeli gladium illum Domini, terribilem gladium, qui replet omnia morte, qui inebriatur cruore ac cædibus, qui devorat carnes occisorum: juvatque cum prophetâ tali spectaculo attonitum ac paventem exclamare: *ô mucro Domini, usquequò non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, et sile.*

Academiæ verò nostræ præsentem statum, aut potiùs solitudinem, nolite, quæso, auditores, longiùs à me deplorari. Date hanc veniam amori in illam meo, ut ne cogar optimæ matris vulnera dicendo renovare. *Quomodò sedet sola civitas,* olim *plena populo? facta est quasi vidua domina gentium. Egressus est à filia Sion omnis decor ejus. Facti sunt hostes ejus in capite: inimici ejus locupletati sunt.*

Inter tot angustias justam numinis iram placare meditantibus, satis ipsi per vos intelligitis quo sit animi affectu, quo studio pietatis, quo ardore fidei habenda hæc supplicatio. Instructis ordinibus, et ad quamdam veluti pugnam accincti paramus inferre vim ipsi Deo, et ab ipso precibus ac lacrymis impetrare, immò extorquere pacem illam, jucundam pacem, tam diù votis expetitam pacem, quam mundus dare

non potest. *Induamus itaque armaturam Dei, loricam justitiæ, scutum fidei, galeam salutis, gladium spiritûs.* Procedamus quâ decet reverentiâ ad augustum illud Sorbonæ templum, hoc est ad ipsum sacrarium religionis, non tam superbarum ædium magnificentiâ, quàm incolarum pietate ac doctrinâ celebre. Portemus ante conspectum Dei pias academiæ preces pro religione, pro Galliâ, pro stirpe omni regiâ, imprimis pro optimo parente nostro Ludovico, qui unicus regum ac religionis vindex, unicum ipse defensorem habet Deum: det illi vires, det robur, det sanitatem: tot ejus triumphis cumulum addat, undè pendet et nostra et populorum felicitas, stabilem ac diuturnam pacem.

SECUNDA SUPPLICATIO

AD ÆDEM SACRAM SUB INVOCATIONE SANCTI JOANNIS VULGO IN GRAVIA.

18 martii 1695.

Non morabor vos longo sermone, auditores. Qui tam alacriter, penè dicam è substantia vestra, contulistis ad sustinendos belli sumptus, non indigetis admonitione nostrâ, ut iidem nunc in hâc solemni supplicatione ad impetrandum divinitùs belli finem preces et vota conferatis. Hujus officii satis unumquemque admonet privata res et propria utilitas; quæ haud scio an sit apud plurimos omni aliâ re efficacior. Sic enim sumus plerique: parùm nos tangunt publica; privatæ autem rei jactura vel levior ad vivum urit. Quanquam hoc tempore non possumus conqueri, academiæ nostræ gravius injunctum esse onus, si onus id vocandum est, quod et obsequio in regem, et pietati in Deum tribuitur. Multò plura à nobis et graviora exigunt atque impetrant imperiosæ mentis dominæ suæ cujusque cupiditates, quibus quis non etiam ex optimis viris vectigal aliquod et tributum ex opibus suis solvit? Juvat igitur suffurari nonnihil istis cupiditatibus, quod in belli sumptus impendatur: juvat detrahere aliquid commoditatibus nostris, undè publicas necessitates sublevemus. Et certè si quid apud nos amor patriæ, si pietas valet, si Galli sumus, si verè christiani, debet vehementer unumquemque nostrûm afficere ista cogitatio. Dùm tot millia hominum pro salute et in-

columitate nostrâ vitam ac sanguinem profundunt; ego interim securus ac quietus pauculâ largitione opum mearum, vastitatem à regni finibus, incendium à nostris urbibus, perniciem ac ruinam à templis arceo. Hæc enim omnia nobis minitatur infensus hostium furor; hæc Ludovicus suâ prudentiâ, militum brachiis ac viribus, nostris verò subsidiis propulsat. Accedit hæc quoque non mediocris consolatio: munus istud nostrum, quantulumcumque est, integrum et sine ullo intertrimento perventurum ad regias manus. Nihil indè decurtabunt, nihil intercipient avidæ manus quorumdam hominum quibus nihil satis est. Faxit tantummodò Deus, ut donum illud quod hoc primùm anno libenter offerimus sit etiam ultimum.

TERTIA SUPPLICATIO

APUD BENEDICTINOS SANCTI GERMANI IN PRATIS.

18 jun. 1695.

QUAM ædem petituri sumus hodiè ad supplicandum Deo optimo maximo pro publicis et privatis necessitatibus, auditores, ea est ejusmodi, quæ et precibus nostris efficaciam addere sanctitate loci, et moribus præclarum exemplar suppeditare possit pietate incolarum. Nulla quippè domus est ubi acrius ferveant studia doctrinæ, ubi major sit modestiæ locus, ubi solida magis ac sincera pietas dominetur.

Dicatis hanc esse nobilem studiorum omnium officinam. Suus illic unicuique pro variâ indole ingenii proprius ac peculiaris labor, sua singulis ad scribendum destinata materies. Hic hebraicæ linguæ asperitatem devorat: ille græcis litteris totum se devovet: alter, velut Ægyptiis pretiosa vasa subripiens, veterum auctorum profanas opes sacris litteris ac veritati inservire cogit: alter, vetustatis vel remotissimæ curiosus scrutator, historiæ lucem infert: alii sanctorum patrum scripta aut doctis interpretationibus illustrant, aut auctiora quàm antehac et emendatiora in lucem edunt. Prodirent ipsi quoque in publicum sacri oratores, sineret solitudinis amor, nec eloquentiæ famam cæteris concederent: at perosi turbam ac strepitum, suisque tenebris et silentio inclusi malunt, et sibi ipsis periculosam minùs, et ecclesiæ magis utilem navare operam.

Neque enim ii sunt qui vagi per urbem, fusi per

domos, inserentesque se rebus alienis, et familiarum secreta rimantes, tempus otiosè terant: non ii sunt qui vani rumoris auram aucupentur, et nescio cujus gloriolæ inani fumo se pascant. Arcta solitudo quam religiosè servant, plurimum relinquit labori locum: solitudinis tædium levant intermixtæ laboris vices: studiorum illis merces et stimulus non propria fama, sed publica utilitas: quod alibi nutrimentum superbiæ est, fit apud eos modestiæ incitamentum: quantò quisque plus doctrinæ adeptus est, tantò conspicitur modestior. Videatis ibi homines summâ virtutis et doctrinæ famâ celebres et conspicuos, penè dicam ignotos sibi ipsis, et ingenuâ quâdam simplicitate mentis verè pueros. In eorum vultu, in dictis, in factis elucet modestia: nullus de se ipsis sermo, nulla ostentatio ingenii, nullus cæterorum contemptus. Laudem verò sic fugiunt et reformidant ut cæteri appetunt.

Nec miror nihil sibi quidquam arrogare, qui intelligunt *omne datum optimum et omne donum perfecfectum desursùm esse, descendens à patre luminum.* Multò plus enim illi, reor, orando proficiunt quàm studendo; felices, quibus nullum vacat à labore aut pietate tempus! Jejuniorum penè quotidianâ consuetudine domita et velut subacta mens, studiis meliùs vacat: studiorum honestâ et innocenti voluptate recreatus animus alacrior ad officia christianæ pietatis redit: ita nec pietas studiis, nec studia pietati officiunt.

Hæc beatorum hominum vita, hæc illis propria laus: à quâ nos quantùm absumus. Dolenter magis quàm contumeliosè dicam, auditores: non amamus satis studia litterarum: seu privato nimis lucro inhiantes, seu temporum calamitate debilitati ac fracti,

seu territi nonnullis, quæ devorandæ sunt, difficultatibus, abjecimus nobilem laboris æmulationem. Quî stabit interim academiæ nostræ decus et existimatio? Transierint ad alios opes, dignitates, potentia, gratia : etiamne studiorum gloriam nobis eripi patiemur, partem unicam, quæ jam supersit, sed longè pretiosissimam amplæ illius hæreditatis quam à majoribus accepimus?

Nolim tamen sic laboris et studiorum æmulationem inter nos accendi, quidquam ut de modestiâ, quæ nobis quoque convenit, detrahatur. Nam plerique sic sumus : si quos nobis natura ingenii igniculos largita est, si quid doctrinæ aut famæ peperit labor, facilè vano fastu intumescimus. Quanquàm quid illud est, quod nobis tantos spiritus facit? quid oratoria facultas? quid poëtica vis? Metiri syllabas diligenter, pedes numerare anxiè, servare vocum discrimina, verba alia aliis consuere, hinc et indè veterum sententias, et voces corradere in unum opus, et malè dissimulata furta in laudem ingenii ac gloriam vertere. Quæso vos, auditores, si his tantoperè gloriamur, quàm miseri sumus ac ridiculi. Non pudere potiùs debeat ejusmodi nugis tantùm temporis, tantùm laboris perdere : torquere et excruciare animum ad eruendam vocem aliquam : contra litteras ac syllabas interdùm dies integros infeliciter et inutiliter luctari ; consumere totam mentis vim et aciem in hoc ingrato et sterili labore, et duram atque indocilem memoriam repetitis millies et ad nauseam usque decantatis vocibus onerare? Hæ nugæ sunt, hæ ineptiæ, quibus nos viles homunculi, sed toti fastu tumentes, superbimus.

At desinent esse nugæ et ineptiæ, si has religio et pietas consecravit. Hæc enim rebus vel minimis et

abjectissimis pretium et dignitatem addit. Hanc igitur sectemur, auditores: hanc præ cæteris unam investigemus: ingressi ædem illam, quam velut doctrinæ, modestiæ, pietatis illustre domicilium licet intueri; postquàm publicas necessitates Deo optimo maximo commendaverimus, regis christianissimi salutem, regiæ prosapiæ incolumitatem, tranquillitatem populorum, frugum ubertatem; ad Christum conversi, unicum magistrum, et doctorem et præceptorem nostrum, his prophetæ vocibus utamur: *bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce nos.*

QUARTA SUPPLICATIO

AD VICTORINAM ÆDEM.

5 oct. 1695.

Nescio quomodò et sacræ hujus supplicationis celebritati, et hominum academicorum votis congruum magis videtur, auditores, eas domos petere, quæ antiquitate suâ quamdam præ se majestatem ferunt, et ob amorem studiumque litterarum peculiari quâdam nobiscum affinitate conjunguntur. Talem esse eam ædem quam hodiè petituri sumus, nemo vestrûm ignorat.

Fuerunt hæ velut incunabula vagientis adhuc seque primùm in lucem exerentis theologiæ: faustis ibi sub penetralibus doctorum hominum felicibus curis et pio labore vires paulatim ac robur assumpsit: sub his tectis cœpit illa confluentibus undecumque populis oracula sua pandere: ita ut dici quodammodò possit natalis hæc theologiæ domus, cui et originem ferè suam debuit, et illius incrementa gloriæ quam nunc apud nos obtinet.

Nec defuerunt exindè celebres virtute et doctrinâ viri, qui hanc præclaram existimationem sustinerent. Famæ sibi à majoribus quasi per manus traditæ retinens domus, summorumque singulis ætatibus hominum ferax, semper secum ipsa certavit, ne longo tractu temporis degener aut effœta videretur. Quàm ibi constanter exculta fuerint studia doctrinæ, testatur dives illa et illustris bibliotheca doctis semper hominibus patens, quam ego jure dixerim

publicum academiæ nostræ atque etiam civitatis thesaurum, communemque studiorum et eruditionis officinam.

Stat illic suus quoque artibus nostris honos, nec ibi musæ hospites et peregrinæ sunt; immò tanquàm in suo florent ac dominantur, excultæ diligenter ab eo viro, qui totus est poëta. Poësim ille quidem summam in laudem extulit, sermone purus, verbis felicissimè audax, sententiis pressus et elegans, carminum majestate non minùs quàm lenitate commendabilis: parùm mihi tamen effecisse videretur, nisi eamdem poësim religionis sanctitati servire docuisset. Per hunc ejecta è templis nostris latini sermonis barbaries: per hunc inducta sacris cantibus mundities simul et majestas digna Deo quem celebrant. Pro quo illius in nos omnemque Ecclesiam immortali beneficio non possum hîc non precari præstantissimo poëtæ, ut quos suis carminibus tam dignè cecinit, eorum sit et virtutis constans imitator, et felicitatis perpetuus comes.

Quod pertinet ad proprias victorinæ domûs leges, normamque vivendi, illa studiorum exercitationi maximè congruit. Æquabilis apud eos et simplex vitæ tenor, sibique constans qualis ab incœpto processit, et in neutram partem nimius. Non atterit ibi vires corporis durus horridæ pœnitentiæ rigor: non frangit mentis vim et aciem nimiùm laxa mollities. Communis victus, nec ferè à vulgari abhorrens: servatæ tamen diligenter nocturnæ preces, et pertinaciter retenta veterum temporum laudabilis illa consuetudo mediâ nocte surgendi ad confitendum Deo, satis arguit retinentes antiquitatis viros ibi ipsis non parcere.

Austeritas vitæ permittitur ibi potiùs arbitrio sin-

gulorum quàm imperatur. Nam in illâ communis vitæ mediocritate, licet tamen sine ullâ cæterorum invidiâ, aut sine jactationis metu, asperiorem sectari viam. Videas ibi qui innocenti simplicitate morum, docilitate mentis semper in obsequium pronâ, fervore pietatis in dies ardentissimo, modestiâ assistendi ad aras penè dicam angelicâ, latente et arcanâ jejuniorum austeritate, denique arctâ solitudine et rigido silentio, famosæ illius et sanctæ domûs quâ se nostra tantoperè non immeritò jactat ætas, laudem plurimis abhinc annis constanter æmuletur.

Adeamus ergo cum fiduciâ ad ejusmodi tam sanctam ædem, precesque nostras quâ decet pietate et fide, præsertim in his difficillimorum temporum angustiis, potenti Deo exercituum, eidemque pacis domino offeramus. *Clamemus in cœlum, et miserebitur nostrî Deus noster. Inimici quidem veniunt ad nos in multitudine contumaci, ut disperdant et spolient nos: ad impetum eorum ne timuerimus. Si Dominus nobiscum sit, pugnetque pro nobis bellator fortis, conteret eos ante faciem nostram. Tua est potentia, tuum regnum, Domine; tu es super omnes gentes: da pacem Domine, in diebus nostris.*

SUPPLICATIO

HABITA APUD BERNARDINOS.

Die 20 jun. 1696.

Qui nuper Ludovico Magno vestrûm omnium nomine solemne laudum vectigal utcumque persolvimus, auditores, debemus nunc eidem longè aliud officii genus, multoque pretiosius vectigal singuli persolvere; publicas ad Deum pro ipso ejusque regali familiâ precationes intelligo. Est hæc maximè sincera studii et obsequii nostri in regem christianissimum significatio, qualem et principis academiæ solida pietas, et ipsius Ludovici non fucata religio postulat. Nam quantacumque sit in colligendis ejus laudibus oratoris eloquentia, quid illa demùm Ludovico Magno prodest? Ad summum videri debet *velut æs sonans aut cymbalum tinniens*, cujus strepitus brevem fortassè audientibus afferre voluptatem potest, ad aures verò regias ne quidem confuso sonitu pervenit; et, si perveniat, ut esse debent christiani principis religiosæ aures, omnemque ferè laudem respuentes, fortassè insuavis et molestus videatur. Non loquor de ipso oratore, cui si quis inest religionis sensus, non tantus esse debet in conquirendis verborum et sententiarum elegantiis labor, quantus in cavendo ne, ut est veri falsique breve confinium, oratio sua à veritate deflectat et degeneret in adulationem.

Nihil ejusmodi metuendum est in hoc pietatis officio, quod nos hodiè christianissimo principi persolvere meditamur. Licet, immò necesse est, toto animi, cordisque et vocis affectu laudibus indulgere, sed divinis; summique numinis misericordiam toties jam expertam rursùm pro Ludovico Magno totis viribus implorare, præsertim in hoc temporis articulo, cùm undique numerosi et formidabiles exercitus in procinctu et mutuo conspectu stantes agendæ rei opportunitati imminent, avidâque et inquietâ expectatione propinquorum eventuum, undè pendet hujusce belli exitus, arrectos in se totius Europæ oculos convertunt.

Instat quoque et premit alia non minùs urgens necessitas, quæ nos saltem præteriti recordatione admonere officii nostri religionisque debeat, fructuum terræ impetranda cœlitùs ubertas et copia. Quò sumus nuper redacti angustiarum unius anni calamitate! Quæ pestis, quæ clades, quis hostium furor tantùm potuit importare vastitatis, quantùm intulit brevis ista nec opina sterilitas? *Oculi omnium in te sperant Domine, et tu das escam illis in tempore opportuno. Dante te illis, colligent: avertente autem te faciem, turbabuntur.*

His de causis, aliisque quas nemo vestrûm ignorat, hodiè supplicatum imus. Imus verò in eam ædem, quæ remota à tumultu, et in mediâ urbe solitudinis laudem retinens, precibus faciendis videri debet aptissima. Utinam divi Bernardi et ejus discipulorum exemplo discamus pietatis ardorem cum doctrinæ studio conjungere! Beati illi solitudinis amatores et incolæ, qui aliàs ima vallium aut sylvarum profunditates habitant, relicto ad tempus secessu

suo in academiam nostram commigrant ad excolendos doctrinæ studio animos : commigremus paulisper ipsi quoque in eorum domum, quam in urbibus unicam habent, ibique hauriamus amorem solitudinis, quæ et studiis et pietati pariter convenit.

SUPPLICATIO AD**.

Quam ardentibus votis jamdiù pacem omnes exposcimus, en illa tandem è longinquis montibus ostendere se nobis incipit, auditores ornatissimi : jucunda pax, terris amica pax, hominum præsertim litteratorum tranquillitati necessaria pax; cujus vel ipso nomine, ac penè dicam odore recreata jam Gallia, immò omnis latè Europa quodammodò reviviscit. Enimverò satis superque sentimus quid sit bellum. Deus immortalis! quis monstri illius furor? secum trahens domorum incendia, urbium strages, agrorum vastationes, interneciones populorum, omnia latè populatur : homines priùs amicos signo repentè dato in mutuam perniciem armat : agris colonos, oppidis cives, sponsis conjuges, matribus natos, omnibus quietem, tranquillitatem, bona, fortunas eripit. Quale igitur bonum est, quàm præstans et cœleste donum solida et diuturna pax, quæ sola tot malis mederi potest? Illa eodem tempore et arma ex manibus, et odia ex animis extorquet. Illa regali scilicet hymenæo comitata, victis urbes, victori quietem, populis concordiam, securitatem pelago, agris fertilitatem, artibus decus, denique ipsi etiam religioni splendorem restituit. Hanc verò subitæ felicitatis, nisi nos fallit animus, penè certam exploratamque spem, oblatam nobis eo tempore, quo novus bellorum furor abruptis desperatisque pacis conditionibus quasi ex integro recrudescere videbatur, hanc, inquam, subitæ tranquillitatis spem cuinam debemus, auditores? Uni illi

in cujus manu populorum et regum corda sunt : qui ex ipso tempestatum sinu repentè serenitatem educit : cujus voci venti et mare obediunt : qui legem hanc furenti bello pariter et æstuanti pelago ponit *huc usque venies, et non procedes amplius, et ibi confringes tumentes fluctus tuos.* Quemadmodùm enim in æstu maris cernimus longè venientes tumidos fluctus, aliosque aliis impositos magno impetu per loca confragosa ferri, et repentè ad arenam cum ingenti fragore factos et in spumam elisos, quasi conspecto in arenâ digito Dei redire in se ipsos placidè subitòque evanescere : ita bellorum furor, cùm sævit violentiùs, nullisque hominum artibus videtur placari posse, jubente Deo subitò ponit ac sedatur. Confirmet hoc tantummodò Deus quod operatus est in nobis. Id ab illo suppliciter postulaturi pergimus in eam ædem, quæ illustribus maximarum virtutum exemplis et odore adhuc fragrans, pietatis famâ non ultimas tenet in hâc principe civitate partes, sive pastoris vigilantissimi actuosâ pietate, acri et indefesso labore in curandis ovibus, moris antiqui singulari scientiâ, tenerrimo amore in pauperes; sive etiam viciniâ sanctæ et eruditæ domûs, quæ ecclesiasticæ disciplinæ tenax, sanæ doctrinæ custos, solidæ pietatis magistra, hactenùs in publicum religionis commodum maximè floruit, magisque ac magis in posterum novo duce reflorescit. Sed antequàm eò pergamus, peto à vobis, ut, etc.

IN COMITIIS RECTORIIS.

Die 16 decemb. an. 1695.

Perindè esse nunc quidem intelligo, auditores, litterariam hancce rempublicam regere et gubernare in pelago ratem. Quò magis è portu recedas, et in altum progrediare longiùs, hoc se vastius aperit mare, gravioresque procellæ imminent. Convenit minùs fortassè publicæ utilitati solitus ille navigandi cursus annui temporis inclusus breviore circulo: at gubernatori certè ipsi ad privatam securitatem atque etiam ad gloriam magis convenit. Tempus istud, fateor, consumitur ferè integrum in ipso rerum apparatu: dùm aptantur rudes, dùm vela panduntur, annus est. Nihilominùs tamen potest gubernator peracto feliciter illo qualicumque cursu in portum redire coronatus ac triumphans. At idem si cursum iterare vel ipse cogitat, vel etiam ab aliis cogitur, meritò exclamari potest: *O navis, referunt in mare te novi fluctus! O quid agis? fortiter occupa portum.* Nescio enim quo fato novi tunc invidiæ flatus suboriuntur, qui transversam hinc indè, si fieri possit, violentis motibus ratem agant. Sunt qui è portu benè tuti nimirùm tacitis rumoribus et malignâ interpretatione carpere ament gubernatoris prudentiam: nonnulli etiam sibi ipsi placentes nimis, et nimis fastidiosè damnantes aliorum industriam, avidâ et cæcâ spe videntur gubernaculo inhiare, suamque etiam invitis operam obtrudunt ac venditant. Quid inter istos motus gubernator? Affixus clavo quem

regendum suscepit, et in suam artem intentus unicè, sinit circum se fremere impotentes ventos, vanamque rumoris auram spernens, eodem tenore navim immotus ipse dirigit. Non ille tamen publicâ auctoritate revocatus pertinaciter cœptam urgebit viam : immò, ut naufragii semper metuens, timidè et quasi invitus navigat, statim atque è ripâ signum redeundi extulerint, quorum id juris est, promptus et alacer in portum remeabit, statimque gubernacula lætus dimittet, non sine votis tamen, ut ea tradantur modesto et prudenti viro, qui id muneris mereatur nec ambiat, plusque in alieno consilio quàm in propriâ industriâ reponat spei. Hæc nostra mens, auditores; vestra quæ sit voluntas mox indicabitis. Interim, etc.

Renasci mihi quodammodò visa sunt prisca florentis academiæ tempora, auditores, dùm nos clarissimo Meldensium antistiti Bossueto interruptum aliquandiù munus academicum communibus suffragiis modò contulimus. Neque enim nobis mediocriter gratulandum arbitror, quòd potuerimus tot honorum insignibus illustrem virum ipsi quoque novo decorare titulo. Nuper ei regum maximus, plaudente omni Latio, regendam commisit, cujus ipse quondam alumnus fuerat, regalem Navarræ domum, antiquum illud et illustre musarum domicilium, præstantissimus semper ingeniis feracem scholam, nobilissimam sedem academiæ nostræ, atque etiam ejus veluti quamdam appendicem, ubi vigent omnes bonæ artes, parique studio simul excoluntur. Eidem seipsam hodiè tuendam ultrò committit regum filia nobilis universitas, suaque illi servanda tradit jura

et immunitates, vetus scilicet patrimonium, quod illi summorum pontificum pia liberalitas indulsit, grande quondam et præpotens, cùm nostra vigeret auctoritas; nunc, ut sunt rerum humanarum vices, malè firmum ac vix cohærens, temporumque injuriâ miserabiliter deformatum. Revocata nunc tamen in usum qualiscumque ista dignitas, et ingenti spe academiam recreare debet, nec mediocri voluptate Bossuetum ipsum afficiet. Amabit ille profectò, amabit dici defensor atque vindex academiæ, et eruditorum vocari pater: amabit esse medius quodammodò ac sequester regem inter et academiam, per quem et academiæ vota ad principem, et principis in illam beneficia deferantur. Sperat enim academia, nec immeritò sperat, se sub tanti nominis auctoritate et tutelâ non modò incolumen et illæsam, sed etiam in posterùm magis ac magis illustrem fore. Et verò quis eam meliùs libentiùsve tueatur? Litteratos homines fovere nemo benè potest, nisi qui litterarum ipse studio ferveat. Quod autem genus est litteraturæ, in quo non sit ille versatissimus? Vasto et capaci ingenio simul universa complexus, sic incubuit altioribus disciplinis, ut minimè neglexerit infirmas: sic perlegit ac volutavit auctores sacros, ut etiam profanis animum dederit: sic latinæ linguæ delicias ac veneres consectatus est, ut nec græcæ divitias, nec hebraïcæ asperitates reliquerit. Nulli historiæ tam abditi sinus et recessus quos non perlustrârit antiquitatis curiosus rimator; nullæ disputationum tam implicitæ et intortæ ambages quas non acri judicio facilè discutiat; nulla etiam mysteriorum tam obscura profunditas, cui non intelligentiæ suæ lumen quoddam inferat, audax sed prudens scrutator caliginosæ illius noctis, quâ Deus

futuri temporis exitus pressos esse voluit. Quid? idem sive ad parentandum mortuis heroibus prodit publicus virtutis laudator, sive ad configendos veritatis hostes acuit stylum vindex religionis acerrimus, ut tonat, ut fulgurat, ut omnia dicendo permiscet! non ille quidem iners et frigidus orator, nec in metiendis velut adamussim syllabis, aut consectandis sententiarum acuminibus miserè anxius, aut adductis verba in antithetis pueriliter librans, sed masculæ eloquentiæ viribus potens, animique impetu et sublimitate rerum quas tractat velut raptus extra se, attonitos quoque aliorum animos percellit ac rapit. Talis serenissimo Ludovici Magni filio debebatur magister, talis primævæ regum filiæ vindex et patronus. Faxit Deus, ut pulchra illa et amabilis senectus, quam ille non molli in otio iners et languidus trahit, sed sacris usque laboribus exercet actuosus senex quotidiè magis ac magis reflorescat, diùque [meldensis ecclesia pastore vigilantissimo; religio acerrimo vindice, academia patrono suî amantissimo perfruatur.

COMITIIS RECTORIIS.

23 junii 1696.

Plus-ne sit opportunitatis quàm incommodi in istâ lege et consuetudine, quæ liberam academiæ potestatem relinquit tertio quoque mense eligendi novi rectoris, cùm alias sæpè antehac, tùm maximè postremis hisce diebus agitare mecum animo contigit, auditores clarissimi. Fateor equidem: si quis fortè sit rectorio muneri cupidè et pertinaciter inhians, si quis invitis bonorum suffragiis ad hanc dignitatem occultâ fraude grassetur, dare potest locum ejusmodi viri furtivis conatibus tam crebra mutatio, ejusque avidam ambitionem arrectasque spes novis subindè stimulis irritare. Sed præterquàm quòd stat semper sua academiæ auctoritas, nec ei invitæ ac reluctanti quisquam emendicatis aliquot hominum suffragiis obtrudi potest; perrarò accidit quemquam esse ita cupiditate honoris obcæcatum, ut ad hunc moliatur contra bonorum omnium voluntatem perrumpere. Neque enim temerè credendum rumoribus est, quos vel timida nonnullorum et suspicax credulitas, vel deceptæ mentis error, vel nimius etiam amor, et penè dixerim inconsulta in amicos benevolentia potest excitare. Potest hoc tamen contingere, et illud inest incommodi in eâ consuetudine de quâ loquimur, sed multis aliundè utilitatibus compensatur.

Injectum est prudenter hoc cupiditati et ambitioni frenum. Quanquam enim parùm honestus sit, nec valdè diuturnus virtutis magister timor, nescio ta-

men quomodò etiam optimum quemque diligentiùs in officio continet. Qui tam crebrò sibi reddendam administrationis rationem meminit, nihil quidquam temerè aggreditur : adhibet consilium sapientium, omniaque prudenter et circumspectè administrat. Non superbè et arroganter agit cum iis, quos brevì judices fore suos prævidet. Non abutitur auctoritate suâ, quippè qui cogitet non tam sibi commissum munus esse quàm creditum; seque mox ad privatam conditionem rediturum. Denique satius esse arbitror, et magis è re academiæ, posse interdùm etiam bonos rectores ante tempus è loco dejici, quàm necessariò per longius intervallum retineri malos.

In hâc incertâ comitiorum tempestate quid agendum rectori? An debet segni innocentiâ contentus, per segnitiem et ignaviam omittere quæ sui muneris sunt; deesse potiùs utilitati publicæ et officio suo, quàm in se nonnullorum querelas, inimicitias, simultates, odia concitare; servire temporibus, studiis obsequi, connivere quorumdam hominum vitiis, dissimulare eorum negligentiam, tolerare cupiditates; providere longiùs, et sagaciter odorari quis sibi prodesse, quis nocere possit? *Hic multùm in Fabiâ valet, ille Velinâ, cuilibet hic fasces dabit, eripietque curule cui volet importunus ebur.* Apage tam indignas, tam humiles curas ab rectore principis academiæ. Retinendæ aut amittendæ dignitatis parùm sollicitus, uniusque officii et publicæ utilitatis memor, debet comitiorum eventus vobis universis et academiæ relinquere.

AD PRIMAM CONFIRMATIONEM.

16 decemb. 1694.

Cupio jam pridem effundere apud vos animi mei sensus, auditores; palamque in hoc celeberrimo conventu vobis non præsentis solùm, sed etiam anteactæ vitæ rationem paucis exponere. Abstraxerat me à jucundissimâ consuetudine vestrâ, matrisque academiæ sinu, ratio valetudinis meæ, quæ novem annorum continuis laboribus nondùm quidem labefacta omninò et exhausta, sed tamen affecta jam et labescens, tacitè admonebat, si sanitati potiùs consultum vellem quàm fortunæ, maturiùs ut receptui canerem, adhucque integer in optatum libertatis et otii portum convolarem. Fatebor equidem, auditores : non sine dolore animi maximo cogebar relinquere optimam parentem academiam, quæ me puerum aluerat, quæ salutaribus doctrinæ virtutisque præceptis instituerat; quæ, si non magnis opibus, at certè præclaris ad rectè suaviterque vivendum artibus instruxerat; quæ denique hoc, quantulumcumque est, si quid tamen est, nominis atque famæ conciliàrat. Liber igitur tandem aliquandò, et mihi jam relictus uni, immersi me totum penitùs in jucundam lectionem veterum utriusque linguæ auctorum, avidèque quasi longam sitim explere cupiens arripui libros, quos districtus publicis curis, et ipsâ officii religione impeditus, vix perstringere leviter et quasi delibare potueram. Inter ejusmodi privatam exercitationem, natabat pectus incredibili gaudio et voluptate perfu-

sum ac redundans, nec dulcibus studiorum illecebris poterat saturari. Identidem tamen ex privato illo secessu retorquebam oculos et animum ad optimam matrem academiam, quam et communi calamitate temporum, et insuper privatâ nonnullorum discordiâ pessumire magis ac magis vehementer angebar.

Placuit tandem vobis, auditores, ex illis me tenebris in hanc academiæ lucem evocare. Mentiar si me invitum et reluctantem huc compulsum esse glorier. Absit ut ita superbè de me sentiam. At delatum esse mihi hunc summum honorem, nec valdè cupienti, nec ullatenùs ambienti, testis mihi privata conscientia, testis vestra omnium de me opinio. Debuerant tamen multa me ab hoc consilio deterrere. Audieram multorum famam et existimationem, donec privati viverent, florentem et integram, ad hunc dignitatis quasi scopulum allisam miserabiliter periisse. Intelligebam quàm præceps et lubricus esset ejusmodi locus, in quo diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum : severitas odiosa, periculosa lenitas : errato nulla venia, rectè facto exigua laus : suspiciones liberæ, malignæ interpretationes : denique difficilis admodùm pacis concordiæque ratio inter varia multorum studia, ac sæpe contrarias indoles. Ubi obsistendum aliorum cupiditatibus, non serviendum suis : publicæ utilitati consulendum, privatorum tamen aliquatenùs indulgendum voluntati : devorandæ multorum molestiæ, exsorbendæ difficultates, rumores perferendi, subeunda etiam sæpè odia. Hæc, inquam, debuerant me ab isto munere suscipiendo deterrere. Malui tamen studiis vestris, auditores, quàm voluntati meæ obsequi. Suscepi lubens onus hoc gravissimum, quod mihi impositum esse voluistis.

Nec possum continere me quin gratias iterum vobis agam, quàm fieri potest amplissimas, non tam ob collatam mihi supremam academiæ dignitatem, quàm ob singularem omnium vestrûm erga me benevolentiam. Mihi enim cernere visus sum, nisi me proprius fefellit amor, pronas in me omnium voluntates, effusa studia, gratulationes sinceras, consentientem amoris et lætitiæ significationem. His autem fateor non posse me non vehementer affici. Honoribus quidem vestris, quanquam eos, ut fas est, plurimi æstimem, æquo animo tamen carere potueram, eosdemque, quandòcumque vobis placebit, non solùm non invitus nec mœrens, sed etiam lætus et alacer dimittam : vosque jam nunc præmoneo, sic opinari me, vestrum esse si noster vobis non sit ingratus labor, nec suspecta fides, vestrum esse, inquam, in vos recipere incertos plerumquè, et per ambitum intricatos exitus comitiorum, de quibus vel leviter sollicitum esse et anxium (ignoscite, auditores, si paulò liberiùs loquar) mihi semper visum est indignum viro bono, totique academiæ injuriosum. Nostrum est dare operam ut officio fungamur : cætera ad publicam omninò curam, ad nos minimè pertinent. Honoribus ergo vestris, repetam iterùm, æquo animo carere potueram, nec frui possum diù : at amor iste vester in me singularis, istæ benevolentiæ significationes, ista studia ut firma et perpetua sint, oro vos atque obsecro, auditores; si neminem unquàm læsi, si nulli dicto aut facto injurius fui, si vobis et singulis et universis placere studui. Ego verò quodcumque labore, vigilantiâ, industriâ efficere potero, in totum vobis polliceor. Meminero æternùm jurisjurandi quod ex hoc eodem loco, iisdem vobis præsentibus, et academiæ, et privatim almæ facultati artium præstiti inter manus

clarissimi viri ante me rectoris, cujus utinam ut dignitas, sic etiam virtutes in me transmitti potuissent! Non ego perfidum dixi sacramentum: vita me potius quàm fides in utramque deseret; nec aliam laborum mercedem postulo, quàm ut quæ me huc prodeuntem excepit vestrum omnium benignitas et benevolentia, eadem hoc munere discedentem prosequatur.

Audiistis inter supplices serenissimum Lotharingiæ stirpis principem, abbatem Harcurianum: adolescentem, si quis unquàm fuit, optimæ spei, dignissimumque profectò qui à vobis singulari quâdam indulgentiâ foveatur. Is animo quàm genere nobilior, virtutibus quàm avis illustrior, hoc habet ab claritudine gentis, ut coli debeat; hoc ab suæ bonitate indolis, ut amari. Vitæ innocentiâ puer, ætatis flore adolescens, virtutis et ingenii maturitate vir, morum gravitate et prudentiâ penè dicam senex, et suis ipse titulis, et nostrâ omnium laude major est. Sic ille jam nunc academiam nostram veretur, ut matrem suam: sic publicos præceptores colit, ut parentes: sic idem, quæ principis et adolescentis summa laus, sic amat, studia, ut pauperes solent. Turpe scilicet credat, quibus nascendi conditione antecellit, non eosdem virtute et doctrinâ superare. Fortunatus ille quidem quòd inter longam avorum seriem Lotharingios, Guisios, Harcurianos numerans, quasi nativa laudum incitamenta reperiat domi: longè tamen fortunatior, qui nactus sit ejusmodi matrem, quæ supra muliebris sexûs conditionem elata, spernensque blandientis aulæ illecebras, veram nobilitatem putat servire Deo, et educandis unicè intenta liberis, eos acri

vigilantiâ et plusquàm maternâ sollicitudine iterùm sed Christo parturit. Tali spe virtutis præditum, tali educatione institutum, si quid apud vos ponderis habet commendatio nostra, iterùm atque iterùm vobis commendo adolescentem, qui destinatus aris, non cæco, ut plerumquè fit, et fortuito nascendi ordine, aut inconsultâ parentum ambitione, sed bonitate indolis, et integritate morum, futurus est aliquandò summum et Ecclesiæ lumen, et academiæ nostræ decus. Quam ergo illi immunitatem et claritas generis, et valetudinis infirmitas asserit, hanc dùm illi concedetis, facite, precor, ut aliquid valuisse apud vos commendatio nostra videatur.

AD SECUNDAM CONFIRMATIONEM.

24 martis 1695.

Si honestum esset velle in medio cursu susceptum onus deponere, auditores, id ut nunc mihi facere liceret, penè vos deprecarer lubens. Quò propiùs accedit tempus illud destinatum habendæ palàm orationi de Ludovico Magno, hoc gravior me et justior tacitè invadit metus, ne dignitatem ac famam academiæ principis parùm commodè tueri possim. Terruerat me primùm huc accedentem, difficultas rerum academiæ gerendarum, propter novitatem et insolentiam rei : at nescio quomodò assuetudine ipsâ iste paulatim evanuit timor. Scilicet in administrandis academiæ negotiis, præter diligentiam et fidem, quam nemo non vir bonus debet de se ipso præstare confidenter, desideratur quidem prudentiæ vis et judicii maturitas : at ea cui desint, potest ab aliis mutuari. Adsunt benè multi inter vos perfuncti summis honoribus viri, aut, quod mihi gloriosius videtur, qui sæpè oblatos præ modestiâ recusârunt; à quibus in rebus impeditis consilium, in obscuris lucem implorare liceat. Et hoc fateor subsidio sæpiùs ac libenter usum esse me. At in scribendâ oratione longè aliter se res habet. Quanquam abundat academia nostra viris ingenio laude et eloquentiæ ac doctrinæ famâ præstantibus, nullum fere hâc parte subsidium expectari potest. Ingenio quisque suo utatur necesse est. Ita relictus mediocritati meæ, teneor tamen, ad tuendum academiæ decus, grande quid et sublime et excel-

sum meditari. Accedit illud quoque, mihi sanè ad existimationem perhonorificum, ad laborem verò arduum et grave, quod sive propter abundantiam otii, quo me affluere non diffiteor, nullis aliundè curis distractus; sive propter publicam eloquentiæ professionem, quâ defunctus sum hactenùs fortassè non omninò infeliciter, nescio quid à me plerosque expectare video. Non mihi deerit animus auditores. Enitar labore et industriâ, penè dicam ultra vires meas, ne academia pariensis, ut opibus et gratiâ, sic priscâ eloquentiæ famâ excidisse videatur.

AD TERTIAM CONFIRMATIONEM.

23 junii 1695.

Exsolutus onere dicendi gravissimo, et velut è periculosis vadis feliciter emersus, non sine quâdam incredibili voluptate mentis proximum jam portum intueor, auditores. Quanquam enim cursus ille noster satis hactenùs placidè fluxit, nec asperis fuit objectus tempestatibus et procellis, tamen illa ipsa negotiorum quotidiana jactatio non caruit omninò suis molestiis ac laboribus. Nec nunc quidem, cùm jam sub ipsum finem propositi cursûs advento, omni curâ et sollicitudine animus liber est. Patet certè prompta et facilis ad portum via, si sequi velim; possumque reliquum illud omne tempus, quod ad explendum annum superest, in otio et tranquillitate degere. Et id profecto, si me ipse consulam, amplectar libens; pacis enim et otii non illiterati amantior me nemo est. Sed publicè potius utilitati consulendum reor, quàm indulgendum propriæ voluntati. Non ignoro; si destinatum opus aggredior, paratam mihi invidiæ nubem et procellam : audio etiam tacitum murmur futuræ tempestatis velut prænuntium : sed strideant venti, sæviat procella, nihilominùs cœptum iter tenebo. Mihi fortè occasio defuerit, non deerit animus. Angustiæ temporis non sinent longiùs progredi, sed mihi satis est sternere reliquis viam. Hoc si potuero assequi, videbor fecisse officio meo satis : sin minùs, juvabit certè tentâsse rem optimam, vobisque et bonis omnibus probâsse meum in academiam acre stu-

dium, et optimam restituendæ veteris disciplinæ voluntatem.

Quod à nobis jampridem viri omnes boni vehementer efflagitant, ut publicam collegiorum lustrationem auspicemur, id tandem aliquandò consecuti sumus, auditores. Obstiterant hactenùs multa huic consilio nostro, ut ferè semper accidit in rebus optimis : parùm etiam abfuit in ipso conatu ingressuque rerum, quin spes omnis nostra statim irrita fieret, bonorumque expectatio falleretur. At moras omnes difficultatum vicit auctoritas et constantia unius viri, cui (non diffitebor dicere), cui academiæ salus et dignitas multò quàm nobis ipsis carior est. Oppressus ille mole negotiorum penè infinitâ; sic tamen rebus nostris incumbit, quasi unus esset è nobis. Interdùm sibi ipsi subirascitur vir optimus nostrîque amantissimus, quòd studio in matrem suo, sic enim vocare academiam solet, nequaquàm satis officia sua respondeant, doletque non posse eam suis manibus in eo statu dignitatis et famæ collocari, in quo deceret esse principem totius orbis academiam. Cupit saltem lapsam sive negligentiâ nostrâ, sive injuriâ temporum, multis in locis disciplinam erigere. Vocat hoc negotium et opus suum, quod ut ad effectum perducat, non erubescit senatûs princeps penè dicam fieri supplex; suæque auctoritatis immemor dignatur miscere imperio preces. Utamur ergo tam apertâ et obviâ illustrissimi viri benignitate et gratiâ, illiusque in tuendis academiæ rebus arrecta et vigil diligentia languorem nostrum et quasi torporem paululùm excitet.

AD CLAUDENDUM

RECTORI DIGNITATIS ANNUM.

10 octobris.

Exacto tandem annui hujusce magistratus tempore, auditores, æquum mihi videtur ut ego vobis et administrationis meæ rationem paucis reddam, et gratias agam ob beneficium in me vestrum singulare. Ac primùm necesse est veniam à vobis postulem eorum quæ à me per imprudentiam aut fortè per ignorantiam peccata fuerint, qualia fieri non potest quin multa per annum integrum, præsertim mihi sic imperito rerum gerendarum, exciderint. Nam sciens quidem et volens nihil admisi ejusmodi, cujus nunc pœnitere me debeat. Nixus conscientiæ meæ testimonio, coram vobis hic liberè profiteor nihil me fecisse odio aut gratiâ cujusquam; nihil privatis impulsum inimicitiis, quæ mihi nullæ sunt aut fuerunt unquàm; nihil denique privati lucri et commodi causâ, cujus rationes publicis rebus inseri aut anteponi mihi semper turpe visum est et indignum homine liberaliter instituto.

Præpositus administrationi rerum academicarum, reperi constitutum in iis, pertinaci curâ, labore et vigilantiâ clarissimi decessoris mei, ejusmodi ordinem, qui si jampridem apud non extitisset, florentem nunc opibusque præpollentem academiam haberemus.

Prosperè mihi contigit ut in huncce nostrum an-

num nullæ incurrerint negotiorum difficultates, quæ exquisitam prudentiam desiderarent. Cæterarum rerum, si quæ à nobis non infeliciter actæ sunt, laudem omnem et gratiam debeo consiliis seniorum è vobis hominumque prudentissimorum, quorum sapientia et maturitas nostræ juventuti præluxit semper in omnibus negotiis, et quasi præfuit.

Rem aggressus fueram, ut mihi videbatur, exemplo valdè utilem, collegiorum incolumitati prorsùs necessariam, officio ac muneri meo non convenientem solùm, sed etiam imperatam: certè bonis omnibus desideratissimam. Nescio quo fato bonis plerumquè consiliis obstatur: peccare impunè licet; impunè violare leges: easdem non licet impunè defendere ac tueri.

Quod pertinet ad publicas actiones, quarum necessitatem nobis imposuit rectoria dignitas, si non improsperos successus habuêre, absit ut id industriæ meæ propriisque viribus ipse tribuam. Sentio fuisse illud singulare munus divinæ in nos benignitatis; mihique lætandum vehementer arbitror, quòd academiæ præceptis instituta vox visa sit non dedecorâsse omninò illius famam et auctoritatem.

Fuisset annus iste, quo me hâc illustri purpurâ decoratum esse voluistis, mihi quidem in omni vitâ auspicatissimus, nisi inter academicos honores incurrens matris optimæ, et christianâ simplicitate amantissimæ, funesta mors me non improviso quidem, sed tamen acerbissimo, ictum vulnere orbitatis in medio quasi triumpho prostravisset. Orbatus tali matre, cujus piamin instituendo me, et plusquàm maternam sollicitudinem nunquàm obliviscar, quò jam aliò confugiam, nisi in communis omnium nostrûm parentis academiæ sinum. Hanc ergo matrem nunc

unicam agnosco et amplector : huic affectum omnem meum : quantulacumque sunt, industriam, laborem, vigilias, curas : huic totum me in omnem vitam devoveo ac consecro.

Nisi me fallit animus, videor propensam bonorum omnium in me benignitatem intueri. Benè est, proceres academici; gratias vobis ago et singulis et universis, quàm fieri potest, maximas : fructum habeo, quem unum optaveram, magistratûs amplissimi, vestram erga me optimæ voluntatis propensionem : nihil amplius oro, nisi ut stabilis illa constansque sit etiam erga privatum. Expedit securum jam nec ingloriæ privatum tranquillitatis portum ingredi : nec optandum videtur rursùs incerti et periculosi maris jactatione me committere. Adductus imperio vestro, cui non parere duxerim nefas, gravissimum hoc onus suscepi : illud nunc idem studio et voluntate, si modò permittitis, lætus et alacer depono; Deumque totâ mente deprecor, ut quidquid acturi estis hodiernâ die, faustum id, felix et fortunatum academiæ reddat.

En aliquandò demùm affulsit mihi certè jampridem optatissimus dies, quo rectorios fasces deponam, meque gravissimo tandem onere liberem. Cuperem vehementer nihil in me sui splendoris amisisset ista purpura, et quam ego florentissimam accepi summæ hujus dignitatis gloriam, hanc alteri integram illibatamque transmitterem. Equidem labore, studio, vigilantia, fide, quantùm in me fuit, enixus sum, ne omninò academiæ dedecori, et benevolentiâ in me vestrâ indignus viderer. Id ne sim aliquâ ex parte assecutus, vestrum debet esse judicium, auditores.

Unum ego de me ipse conscientiæ testimonio nixus profiteri possum, quod jam sæpè antehac significavi palàm, in administrandis academiæ negotiis nihil me fecisse odio cujusquam, nihil gratiâ, nihil spe, nihil privati commodi causâ; sed ad publicam academiæ vestrûmque omnium utilitatem consilia et facta retulisse. Videtur autem hæc optima de vobis henè merendi voluntas mereri saltem, ut et mihi nunc condonetis quæ per imprudentiam aut aliterà me peccata fuerint; et, quam ego laboris jucundissimam mercedem esse duco, vestram mihi in perpetuum benevolentiam præstetis. Utrumque à vobis et postulo et spero, auditores, quidquid nonnulli homines furtim moliri videantur. Neque enim possum non publicè conqueri de quibusdam hominibus, quorum in me simultas apertiùs erumpit, quàm ut eam dissimulare possim ampliùs. Esto: dolorem illi suum nescio quem ulcisci cupientes, contra fas, contra morem, contra vestrûm omnium voluntatem rectorios mihi fasces ante legitimum tempus extorquere tentaverint: quoniam hæc unum me spectabat injuria, patienter actenùs et moderatè tuli. At etiam-ne ex eâdem officinâ contra amicos meos, hoc tantùm nomine quia amico me utuntur, fraudes et insidiæ comparabuntur. Quodnam ergo tantum concepi scelus, auditores, cùm labentem academiæ disciplinam erigere aggressus sum, cùm ad eam tuendam tot curas, tot labores, tot sollicitudines, tot molestias devoravi; cùm privatas omnium vestrûm utilitates etiam contra veteres amicos defendi? quodnam, inquam, tantum concepi scelus, ut amicis meis non solùm non prosit, sed etiam obsit et crimini detur amicitia mea. Absit ut hæc ad vos universos querela pertineat, auditores; paucorum hominum est isthæc de quâ conquerimur conjuratio.

Vos è meis me tenebris ad hanc summæ dignitatis lucem extulistis : vos quamdiù hoc munere functus sum, non obscuro favore et incertis benevolentiæ signis, sed nisi me fallit animus, publicâ et apertâ optimæ voluntatis significatione recreâstis : pro quo singulari vestro in me beneficio nihil aliud possum quàm gratias vobis referre amplissimas, meque vobis et communi omnium nostrûm parenti academiæ per omnem vitam addictissimum fore polliceri.

IN COMITIIS CENSORIIS

APUD MATHURINENSES.

Die 27 oct. an. 1695.

Censorium munus et olim apud Romanos ad incolumitatem reipublicæ necessarium videbatur; et nunc apud nos haberetur gravissimi quoque momenti, si munera et dignitates publicâ tantum utilitate metiremur. Penès illud nempè stat tutela et observatio legum, disciplinæ, juris, ordinis: quibus vigentibus, floreat necesse est qualiscumque respublica; neglectis, corruat paulatim, penitùsque dissipetur. Abundat quidem nostra hæc litteraria respublica ingenti multitudine legum optimarum, quas alias aliis quotidiè cumulari nescio an sit nobis perhonorificum: neque enim sanum ac vegetum corpus tot remediis indiget. Sed exclamare cum Flacco libet: Quid leges sine moribus vanæ proficiunt? Equidem mirari sæpè soleo leges, quibus reprimuntur improborum conatus, scelera puniuntur, hominum etiam potentissimorum coercetur vis et audacia, ipsas esse adeò per se infirmas, inermes, sine viribus, obnoxias injuriæ et contemptui, et nisi accedat aliundè vis et auctoritas, nullius ferè apud plerosque hominum momenti et ponderis. Undè autem, rogo vos, potest et debet illis accedere vis et auctoritas, nisi ab iis qui earum custodes, et quasi tutores suâ conditione constituti sunt? A privatis hominibus, postquàm sine ullo partium studio, sine

ullâ gratiâ aut invidiâ in communi sua consilia contulerint, nihil exigere possis ampliùs. Non ita est de iis qui aliquo munere publico perfunguntur. In eorum fide et vigilantiâ cæteri conquiescunt: eorum diligentiæ legum cura et defensio committitur, grande depositum! Sunt illi tanquam oculi publici, qui nisi semper arrecti et vigiles in quamcumque partem agili motu se convertant, eorum lethalis sopor toti corpori labem et perniciem importabit. Agite igitur, proceres academici: tales nobis hodiernâ die censores eligite: facilè enim potestis in tantâ copiâ hominum æquitate et sapientiâ præstantium. Nam si ullus unquàm annus, hic certè talibus viris indiget, quorum nos prudentibus consiliis et indefesso labore in lustrandis, ut speramus, propediem collegiis utamur. Date nobis viros qui apprimè instructi sint legum academicarum notitiâ: qui earum sint ipsi fuerintque semper observantissimi: denique qui, nullâ personarum habitâ ratione, et publicæ tantùm saluti, non suis utilitatibus indulgentes, valeant perrumpere iniquitatem, et in ipsis etiam, si necesse sit, amicis constantiam animi et firmitatem experiri.

At si verè cupimus universitatis decus ac famam tueri proceres academici, sit unusquisque nostrûm oportet sibi ipse rigidus censor, asperque exactor officii. In hâc litterariâ republicâ habemus singuli, seu domi, seu foris: seu privatim, seu publicè, destinatas agendi vices et præscripta munia. Quantùmvis simus ipsâ conditione nostrâ liberi, nemini tamen nostrûm licet suo arbitratu vivere. Ex legum imperio et nutu pendemus universi. Hæc norma, hæc regula,

Hæc officii præscriptio, totius vitæ nostræ magistra et moderatrix esse debet. Quam dum privatim pro suis quisque viribus diligenter ac religiose sequitur, ex illâ singularum partium, licet in officiis longè disparibus, quasi conspiratione et concordiâ, ut in cantu ex dissimili diversarum vocum sono existit mirabilis quidam concentus, quo omnium animi rapiuntur. Contrà, si quis sit officii sui incuriosus et negligens, ut in fidibus si qua discordet et à cæteris dissentiat, præclarum illum totius corporis ordinem et velut harmoniam pessundat ac pervertit. Itaque non possum satis hortari vos, proceres academici, præsertim ex quo regiâ liberalitate vestris fortunis abundè provisum est, ut vestrum tuendæ disciplinæ studium magis ac magis in dies augeatur: ut ex iis quæ academiæ legibus præscribuntur, vel minima violare sit religio: ut quisque statis horis suam scholam et stationem obeat diligenter, nec quisquam suâ culpâ committat, ut privatorum negligentia in totius academiæ dedecus ac ruinam vergat. Scio enim, et id vos credo monitos oportere, in nostros mores, in dicta, in facta diligenter inquisi, et plurium in nos oculos. At de his nimiùm multa in præsens.

Agitur hodiernâ die de creandis censoribus, procuratores ornatissimi, proceres academici. Magni profectò momenti res, et undè omnia academiæ dignitas ac fama pendeat. Scilicet ejusmodi est ista, quam nos incolimus, respublica litterarum, quæ se non defendat armis, non vi et auctoritate tueatur, non præcellenti gratiâ aut egregiis opibus polleat, sed præclaris tantummodò ac sapientibus institutis

glorietur. Hæc est relicta nobis, et quasi per manus tradita à majoribus nostris pretiosa hæreditas, quam nos utinam quâ par est religione ac diligentiâ conaremur posteris integram illibatamque tradere! In his legum nostrarum monumentis vivit vigetque adhuc rediviva quodammodò ac sibi ipsi superstes, prisca illa et venerabilis universitas. Nullis ibi apparet concertationum fluctibus ac procellis agitata: nullis distracta studiorum ac voluntatum dissentionibus: nullis vitiorum sordibus inquinata. Pacem omnia et concordiam spirant ac loquuntur in his legibus, quarum inventrix provida majorum sapientia, moderatrix privatorum æquitas, finis publica utilitas et salus. Procul indè absunt rerumpublicarum pestes, avida honorum ambitio, imminens semper et incubans privato lucro avaritia, alienis commodis atque etiam virtutibus invidens livor, privatæ inimicitiæ, malignæ interpretationes, obscura odia, occultæ simultates. Ita ut, quotiescumque almæ facultatis artium vetera instituta mecum attentiùs considero, exclamare cum Tullio libeat: O præclaras leges, si eas servaremus!

Ut autem religiosè serventur, labor munusque censorum est. Penès eos stat publica morum, legum, ac disciplinæ tutela. Neque enim existiment vanum sibi nomen atque inanem titulum indui. Jurejurando, quo nihil habet religio sanctius, fidem academiæ obstringunt suam, se in defendendis ejus institutis omnem operam, industriam, laborem posituros. Debent igitur jurisjurandi memores quasi in speculâ stare semper attenti et erecti, ne qua fraus subrepat, ne qua vis et injuria sanctissimis academiæ legibus inferatur: ne quis eas aut ignorantiâ prætermittere, aut incuriâ negligere, aut petulantiâ violare

audeat. Imprimis caveant necesse est ne vel minima violari impunè patiantur. Sic enim est humanum ingenium : ab infimis ad summa progreditur : in istis, quæ levissima videntur, fit quoddam quasi experimentum, ut ad majora grassari deinde liceat. Magnas enim illecebras habet impunitas peccandi : facilè serpit ac disseminatur contagio mali : quæ si semel præscriptos æquitatis limites impunè transilierit, nullis cohiberi frenis, nullis revocari viribus jam poterit.

Quicumque igitur censorium in se munus admittunt providere diligenter debent quantum et quàm grave suscipiant onus. Sibi quippè ipsi jam tunc novam quasi legem indicunt innocentiæ, continentiæ, moderationis, æquitatis, virtutumque omnium. Neque enim acerrimus vindex alieni esse officii potest, qui non sit severus exactor suî ; nec reposcere ab aliis vitæ morumque rationem, qui suorum ipse non possit reddere. Nobis autem gratulandum vehementer arbitror, quod multos habeamus præstantes integritate morum et prudentiâ viros, quorum fidei ac religione hoc munus tutò committi possit.

Hodiernis comitiis quid locum dederit, et jam nostis omnes sapientissimi decani, procuratores ornatissimi, proceres academici; et vobis meliùs explicabit scripta ad me recèns epistola à viro clarissimo *Besoigne*, doctore sorbonico, quam spero fore vobis omnibus acceptissimam.....

Vocatus ille Sorbonæ matris judicio, aut potiùs divinæ Providentiæ jussu ad futurum regimen utriusque illius florentissimæ domûs, quæ ductu et auspi-

ciis viri omni virtutum genere clarissimi jampridem toti academiæ, immò toti gallicanæ Ecclesiæ decori et præsidio est, commissum sibi à vobis munus inter manus vestras reponit. Novus ergo vacanti iterùm Ecclesiæ pastor à vobis nominandus est. Meministis adhuc procul dubio, quàm publico applausu, quàm effusâ gestientis animi lætitiâ et gratulatione, factam primo à vobis nominationem viri omnes boni per universam latè civitatem comprobârint. Vestram istam laudem cumulate nunc, proceres academici, alium, si potestis, etiam digniorem eligendo. Nihil hodiè vobis commune, nihil vulgare, nihil mediocre ante oculos obversetur. In isto delectu faciendo circumspicite animis vestris, ubicumque tandem illud occurrat, quidquid cogitari potest maximè perfectum, et sublime, et eminens: erit enim illud adhuc multò infra rei, de quâ agitur, dignitatem. Hoc famæ vestræ, hoc publicæ expectationi, hoc imprimis Christo ipsi debetis, hodiernæ deliberationis rationem quondam à vobis reposcituro. Pensitate, quæso, diligenter apud vos, et seriâ animorum æstimatione ponderate, quam vim habeat ista Pauli metuenda vox ad Timotheum: *manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Quicumque scilicet ductus humano affectu aliquo, vel re non satis diligenter perpensâ, vacanti Ecclesiæ suo hodiè suffragio præfecerit hominem, non dico indignum, sed minùs dignum, hoc est minùs aptum et habilem, in se ipsum recipit quæcumque ab illo peccata fuerint; et quid peccari non potest ab homine mediocriter probo et experto in tam difficili et arduo regimine animarum? Si fortè pastor ille tepidus et languens fuerit, si minùs pietate et zelo fervens, si lucri sui magis quàm salutis ovium cupidus, si tranquillitatis et otii

amans, si laboris et periculi fugiens, si non satis doctrinâ sanâ morum et dogmatum imbutus, si sine curâ, sine sollicitudine, sine vigilantiâ; si, ut prophetarum verbis utar, pascat semetipsum, lac comedat ovium, et earum lanis operiatur, gregem autem suum non pascat, idolum potiùs quàm pastor; si quod infirmum est non consolidet, quod ægrotum non sanet, quod confractum est non alliget, quod abjectum est non reducat, quod perierat non quærat; si denique, eò quòd non sit pastor, dispergantur oves, fiantque in rapinam et devorationem omnium bestiarum agri: sanguinem animarum requiret Deus, non solùm de manu illius pastoris, sed de manu nostrâ, qui talem suo gregi custodem præfecerimus. Hoc est peccatis alienis communicare: quod scelus et flagitium à nobis longè absit! Ergo-ne, ut privato alicui, ut amico, ut etiam nationi nostræ gratificemur, horum criminum nos reos in omnia secula offeremus? nostra obnoxia capita tot execrationibus, quæ in Scripturâ leguntur contra malos pastores, objiciemus? Honos iste vulgò dicitur, jus quoddam excellens, singulare privilegium, nominare pastores aliquot in Ecclesiâ parisiensi. Est istud potiùs, credite mihi, proceres academici, grave et metuendum onus: est penè ineluctabilis peccandi occasio: est perniciosa plerumquè danti pariter et accipienti largitio. Utinam igitur liceret jam nunc, et cur non liceat, si nihil nobis pretiosius est quàm salus animarum nostrarum, in alterum aliquem adeò funestum pondus exonerare, et liberare conscientiam nostram tam justo et legitimo metu! Testis mihi Christus est, hæc à me dici sine ullo in quemquam vel amoris, vel odii affectu; sed caritate tantùm et studio vestræ salutis omnium, proceres academici, quos ego ut

socios et fratres sincerè diligo, ut magistros impensè veneror, ut patres et benefactores nunquam non ex animo colam. Secedite igitur in tribus vestras de proposito negocio deliberaturi, postquàm tamen æquissimum censorem audieritis, et brevi oratione opem divinam imploraverimus.

Domine Jesu, ostium ovium, per quem si quis introierit salvabitur; bone pastor, qui animam tuam posuisti pro ovibus tuis: miserere populorum qui sunt afflicti et jacentes sicut oves non habentes pastorem, Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogamus ergo te Dominum messis, ut mittas ipse nunc operarium in messem tuam. Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris accipere locum ministerii hujus. Qui vivis, etc.

ORATIO

HABITA APUD MATHURINENSES,

Die 11 *decemb. an.* 1720, *antequàm universitas supplicatum iret ad ædem sorbonicam.*

QUOD accidere illis solet, qui fumosas majorum suorum imagines, et eorum præclarè facta crebrò ante oculos habent, ut ipsi ad parem laudis æmulationem inflammati altiores indè animos ac spiritus capiant, decani sapientissimi, procuratores ornatissimi, proceres academici, illud idem mihi quoque vetera annalium nostrorum monumenta revolventi contingere fateor, præsertim ex quo ad tenendum litterariæ hujus reipublicæ clavum vestra me auctoritas longo post intervallo revocavit. Rapior extra me, et incredibili virtutis ardore succendor, cùm attentiùs mecum ipse considero quæ vita, qui mores majorum nostrorum fuerint: per quos viros, quibusque artibus, et parta, et tantis paulatim incrementis aucta sit illius gloriæ possessio, quam per tot sæcula ad nos usque integram illibatamque transmiserunt.

Quænam autem, rogo vos, et cujusnam generis fuit tam præstans, tam eminens, academiæ nostræ magnitudo? An illa vel superbo fastu ædificiorum, vel præcellentis gratiæ metuendâ potentiâ, vel divitiarum aut inanis gloriolæ vano fulgore nitebatur? Hæc, quæ sola ferè apud mortales, nunc præsertim, in pretio habentur, quàm flocci semper illa præ animi celsitudine fecerit, testis perpetua illius inter sum-

mos honores modestia, et religiosè servata paupertas illis etiam temporibus, quibus sola et sine æmulis litteraturæ imperium obtinens, facilè poterat ad abigendam pauperiem, si hanc probro duxisset uti favore principum. Alii immensas opes et immanes reditus undècumque et quomodòcumque congerant. Academiæ nostræ laus est, nullam unquàm litteratorum hominum societatem extitisse, apud quam tantus ac tam diù paupertati ac parcimoniæ honos fuerit. Quam laudem utinam nobis non extorqueat infelicis hujus seculi contagio, et gliscentis magis ac magis in dies pravæ consuetudinis imperiosa lex; contra quam nos decet, si quid adhuc academici spiritûs retinere volumus, priscâ victûs, cultûs, habitûs simplicitate ac modestiâ constanter luctari.

Sed, ut ad propositum redeam, in quo sita igitur fuit vetus academiæ nostræ magnitudo et gloria? Præstare cæteris laude ingenii, doctrinæ copiâ præpollere, antiquâ integritate morum et innocentiâ conspici, juvenes ad scientiam et pietatem exemplo non minùs quàm præceptis fingere, imprimis verò invictâ animi fortitudine sacrum avitæ doctrinæ pignus et depositum tueri: eas majores nostri divitias, eam bonam famam, veramque nobilitatem putabant.

Vultis, auditores, speciem vobis aliquam et quasi redivivam imaginem fingere vestræ pristinæ dignitatis? Advertite animum ad illa tempora quibus majores vestri de fidei negotiis consulebantur à principibus, à regibus, à præsulibus, à romanis pontificibus, ab ipsis etiam generalibus conciliis: tunc enim in contemptu non erat secundus ordo. Perlegite honorificas illorum ad vos epistolas, et vestra ad illos responsa plena nobilis illius firmitatis et constantiæ quæ religionis defensores decet. Revocate in animum, ut alia

benè multa omittam, concilia constantiense et basileense, in quibus nostrorum hominum eruditio, pietas, fides, studiumque indefessum tuendæ veteris doctrinæ, tantam universitati parisiensi famam conciliârunt. Ut illic ardentibus omnium votis expectabantur legati vestri! quâ gratulatione et lætitiâ, quàm obviis principum ac præsulum salutationibus venientes excipiebantur! quæ auctoritas, quod pondus eorum dictis inerat, cùm astantibus patribus sententiam aperiebant suam! Interim verò quàm arrecta apud nos et sollicita expectatio eorum quæ illic agebantur: quàm crebros legimus fieri solere in hoc ipso loco conventus, ut legatorum nostrorum epistolæ de rebus apud concilium agitatis palàm recitarentur! quàm frequenter celebrata nomine et jussu universitatis sacra ad implorandam divinæ misericordiæ opem, vel gratias ei agendas!

Scilicet hoc verè cordi habebant, hoc negotium ducebant suum. Ad hoc se institutos meminerant, ut sartam tectam patrum fidem tuerentur. Nullus adeò labor, nullæ difficultates, nullæ impensæ graves ad id videbantur. Singuli academiæ ordines, non sacer ordo tantùm, sed juris, sed medicinæ facultates, sed una quæque quatuor nationum, legatos habebant apud concilia, eosque ibi suis quisque sumptibus honestè et liberaliter sustentabant.

At quam putatis legatos illos expectavisse mercedem tot laborum, tot periculorum, quæ pro tuendâ religione suscipiebant? Audite, quod nunquàm ex annalibus nostris, nunquàm ex animis hominum academicorum excidere oporteat. Sacri theologorum ordinis decus, parisiensis academiæ et ecclesiæ lumen, constantiensis concilii vox et oraculum, toto orbe christiano percelebris ille Gersonius, rediit ex

eo concilio plenus quidem honoris et gloriæ, plenus illustrium in Galliam et Ecclesiam meritorum; sed idem exhaustâ propter defensionem fidei re domesticâ ad extremas redactus angustias. Timens ergo redire in hanc urbem cruentis factionum dissidiis miserè vexatam, factusque apud Lugdunum ex cancellario ludimagister, ita suadente etiam procul dubio christianæ humilitatis instinctu, ut ejus facta (1) satis indicant, reliquum vitæ tempus inter pauperes pueros, quibus prima fidei elementa tradebat, pauper ipse consumpsit. Adeò tunc ante omnia religio ponebatur; adeò propter illam nec oneri, nec pudori vel ipsa paupertas erat!

Hæc est majorum nostrorum gloria, auditores: hæc omni auro pretiosior hæreditas: amor paupertatis, amor religionis. A quâ laude quàm non degeneraverit nostra universitas, testis esse posset vel una domus illa quam sumus hodiè supplicandi causâ petituri: quæ sub illâ superbarum ædium magnificentiâ, quam ei invitæ ac diù reluctanti richeliana liberalitas addidit, antiquæ simplicitatis retinens, et novitii fastûs inimica, pauper Sorbona appellari usque gloriatur; quæ ingenii, doctrinæ, pietatis laude sic eminens, latere in umbrâ quærit, et uni religioni labores suos consecrat.

Sed quid ego aliundè exempla quæro? Vobis, vobis ipsis, decani sapientissimi, procuratores ornatis-

(a) Hæc pia et religiosa consuetudo, quam cum parvulis toto vitæ suæ decursu habuit cancellarius, effecit ut, cùm sibi mortem imminere præsentisceret, omnes parvulos, quos de more in ædem divi Pauli lugdunensis quotidiè ad catechisandum cogere solebat. Deum optimum maximum pro se in hæc verba orare, et coram sacrosancto altaris sacramento sæpiùs iterare et exclamare induxerit: *Mon Dieu, mon créateur, ayez pitié de votre pauvre serviteur Jean Gerson*

simi, proceres academici; vobis, inquam, meritò gratulari possum renovatam postremis hisce temporibus majorum nostrorum in tuendâ veritate fortitudinem, et celebri istâ appellatione ad futurum generale concilium, et oblato nuper supremæ parisiensi curiæ ad Pontisaram sedenti libello supplice, quo significâstis initi recèns pacti vos esse prorsùs exortes, firmiterque inhærere appellationi ad quam velut *ad anchoram fidei tutam et firmam confugistis.*

Quid jam superest, nisi ut unanimes, uno ore, et toto corde Deum optimum maximum deprecemur, ut ipse concedat Ecclesiæ suæ, quam mundus dare non potest, pacem; ut ipse religionis et regni negotia pro suâ in nos benignitate componat; ut sævientem in fratres nostros metuendo pestis flagello iram, nobisque ipsis imminentem, placatus avertat; ut principibus nostris, ac serenissimo regenti, cujus immortalia in academiam nostram beneficia nunquàm obliviscemur, *det judicare populum in justitiâ, et pauperes in judicio;* præsertim verò ut spem Galliæ et Ecclesiæ pupillum regem, ipse pupillorum et regum pater et custos, *sub umbrâ alarum suarum protegere* non desinat; eumque ad populorum salutem, et religionis tutamen diù ac feliciter regnare jubeat.

MANDATA.

MANDATUM

PRO COLLEGIORUM LUSTRATIONE.

Nos Carolus Rollin, rector universitatis studii parisiensis, omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem.

Ex quo rerum academiæ regendarum commissa nostræ fidei cura est, rati præcipuam hujusce nostri muneris partem esse legum academicarum tutelam, semper in animo habuimus publicam collegiorum lustrationem aggredi; idque jampridem à nobis optimi quique viri tacitâ voce et communibus votis reposcunt. Ut ergo justis eorum precibus et officio nostro faciamus satis, solemnes ac publicas collegiorum lustrationes propediem Deo juvante auspicabimur. Cùm autem ista solemnitas non ad inanem pompam instituta sit, sed ad tuendam in collegiis disciplinæ severitatem, necesse est haberi in manibus statuta singulorum, ut pateat serventur, necne. Itaque ex consilio deputatorum, et universitatis nomine, mandamus ac præcipimus universis ac singulis gymnasiarchis, ut accuratè describi curent statuta sua cùm vetera, tùm recentia, et fundationes; eaque intra mensem ad nos deferant, subsignatâ manu gymnasiarchæ, procuratoris, et duorum è bursariis

antiquorum, qui testentur collata fuisse ea diligenter cum exemplaribus, nihilque omissum fuisse aut celatum. Confectis verò collegiorum lustrationibus, hæc omnia deponentur in tabulariis universitatis, indè extrahenda quotiescumque opus fuerit. Et quoniam optimus est custos disciplinæ, ac magister officii labor, monitos jam nunc academiæ alumnos volumus, cujuscumque conditionis sint, coram nobis studiorum rationem reddituros, ac præcipuè eorum quæ in suis quisque scholis edocti fuerint. Cujus admonitionis nostræ ne fortè ignorantiam prætextant, mandatum istud convocatis alumnis suis singuli gymnasiarchæ perlegent. Datum in ædibus nostris laudunensibus, VIII idus apriles, anni M. DC. XCV.

MANDATUM

AD DISCIPLINAM ACADEMIÆ PERTINENS.

Nos Carolus Rollin, rector universi studii parisiensis, omnibus et singulis præsentes litteras inspecturis salutem.

Cùm ea sit natura legum etiam optimarum, ut longo tractu temporis, et hominum incuriâ paulatim obsolescant, novisque in dies exurgentibus vitiis quasi suffocentur, necesse est in omni republicâ benè constitutâ veteres subindè renovari leges, aut etiam institui novas, ut rectum ordinem evaganti licentiæ frenum injiciatur. Eâ de causâ placuit præclaræ facultati artium statui per nos quædam ad disciplinam academiæ pertinentia, eaque, ne quis ignorantiam prætextat, affixis ad collegiorum valvas tabulis promulgari.

1. Igitur quod spectat ad tragœdias quæ sub anni finem exhiberi solent, vehementer improbamus, atque adeò in collegia universitatis admitti vetamus perversam illam consuetudinem, quæ aliundè in nostros mores invecta grassari in academiam quoque furtim molitur; perversam, inquam consuetudinem producendi in theatra cum ingenuis et honestis adolescentibus mimos, comœdos, saltatores, histriones, scurras, et alias ejusmodi publicas pestes, quibus bonos mores corrumpi utinam falsò jactaretur. Prætereà cùm divinâ lege cautum sit, *ne induatur mulier veste virili, nec vir utatur veste femineâ, abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc,* vetamus quoque ne in

posterùm muliebres personæ tragœdiis inserantur. Parùmne multa miseris adolescentibus pericula imminent, nisi etiam nos ipsorum custodes ac magistri nova lubricæ eorum ætati et nimiùm ad vitia pronæ offendicula proponamus? Academia instituendi moribus non minùs studet quàm formandis ingeniis: immò pietatis quàm doctrinæ priorem ac potiorem haberi curam jubet. Huc tendat necesse est omnis magistrorum labor, scholarumque exercitatio, ut adolescentium teneræ mentes, tracturæque altiùs quidquid primis hisce annis imbiberent, christianâ pietate imbuantur. Exhibeantur ergo tragœdiæ ad exercendos juvenes, eosdemque solemni præmiorum distributione excitandos (quanquam fortassè aliud quid et utilius pueris, et magistris onerosum minùs in earum locum substitui possit). At spirent in iis omnia morum sanctitatem et innocentiam: procul absint indè sordes et amatoriæ nugæ: earum argumenta, si fieri potest, desumantur è sacris codicibus; fieri autem posse præclarè et feliciter, recenti et illustri exemplo vidimus: denique conspiciatur in ejusmodi declamationibus prisca illa majorum et verè aurea simplicitas, ad utilitatem omnia, nihil ad ostentationem referentium. Hæc de tragœdiis: quæ si quis violare audeat, hunc pœnis academicis mulctari jubet præclara facultas artium.

2. Cùm eorum qui in academiam admitti volunt, mores non minùs quàm doctrinam explorari conveniat, placuit candidatos magisterii in artibus, antequàm studiorum examen subeant, deponere inter manus amplissimi D. rectoris testimonium, quo de eorum moribus constet; subsignatum quidem à gymnasiarchis, si bursarii et alumni erunt, aut in collegiis degent; si verò extra collegia, ab aliquo notæ

probitatis viro. Erit autem fidei et prudentiæ amplissimi D. rectoris, si qua fortè lis orta fuerit ob denegata à gymnasiarchis ejusmodi testimonia, rectè necne factum fuerit judicare.

3. Occasione cujusdam privati hominis, qui suo nutu, sine auctoritate academiæ, tanquàm legitimus professor, publico programmate, eoque latino promulgavit se in collegio universitatis matheseos præcepta traditurum: vetamus ullas aut recentes scholas excitari, aut aboleri veteres inconsultâ præclarâ facultate artium: gymnasiarchis verò edicimus caveant ne quid in posterùm tale accidat; neve aliquis præter professores academicos in collegiis et publicis scholis docendi jus sibi arroget.

4. Cùm totius academici corporis stare dignitas non possit, nisi debitus capiti reddatur honos, eadem præclara facultas artium vetat ullam in collegiis haberi publicam exercitationem, ad quam non invitatus fuerit amplissimus D. rector, qui universis studiis præsidet; eique jubet honoris causâ duplices theses, aut duplex programma pro antiquo more offerri, discipulosque eâ de re à magistris diligenter admoneri. Datum in ædibus nostris laudunensibus kal. oct. an. Dom. M. DC. XCV.

MANDATUM

AD CONSECRANDA STUDIA SACRÆ SCRIPTURÆ RECITATIONE.

Nos Carolus Rollin, rector universi studii parisiensis, omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem.

Jampridem à nobis viri boni efflagitant ut, quam pluribus in collegiis privatim aliquot professores piam consuetudinem usurpant, quotidianâ scripturæ sacræ recitatione suorum studia consecrandi, eam nos publicâ et communi lege sanciamus. Id quidem ipsa academia, pietatis non minùs quàm doctrinæ parens, tacitè quodammodò innuit, dùm imprimis jubet, *ut pueri à magistris et litteras simul discant, et bonis moribus imbuantur.* Hinc stati apud illam et crebro indicti dies, quibus intermissa studia uni relinquunt pietati locum; hinc antiquus ille mos singulis in scholis diebus sabbati pueros doctrinæ christianæ præceptis instituendi: hinc denique laudabilis consuetudo initium et finem prælectionum ducendi à christianis precibus: quibus si addatur quotidiana Scripturæ sacræ quantulacumque mentio, hoc velut divino sale reliqua puerorum studia condientur. Petamus sanè à profanis scriptoribus sermonis elegantiam, et ab iis verborum optimam supellectilem mutuemur. Sunt ista quasi pretiosa vasa, quæ ab Ægyptiis furari sine piaculo licet. Sed absit ut in iis (quemadmodùm olim Augustinus de suis magistris conquerebatur) incautis adolescentibus vinum erroris ab ebriis doctoribus propinetur. Quî autem poterimus id vitare

periculi, nisi tot profanis ethnicorum hominum vocibus inseratur divina vox, christianisque scholis, ut decet, quotidiè intersit, immò præsideat unus hominum magister Christus. Nec timendum ne divinus ille præceptor rejiciat à se pueros, qui ipse, dùm in terris degeret, parvulos ut ad se venirent tam amanter invitabat. Scilicet ætas illa simplex, docilis, innocens, plena candoris et modestiæ, necdùm imbuta pravis artibus, accipiendo Christi Evangelio maximè idonea est. Sed proh dolor! brevi illam morum castitatem inficiet humanorum opinionum labes, seculi contagio, consuetudinisque imperiosa lex: brevì omnia trahens ad se blandis cupiditatum lenociniis voluptas, tenerum puerilis innocentiæ florem pervertet, nisi contra dulce illud venenum adolescentium mentes severis Christi præceptis tanquàm cœlesti antidoto muniantur. Debent igitur magistri puerorum animis, dùm patientes culturæ sunt; quotidiè divini verbi semina committere: quæ si in iis hâc primâ ætate radices egerint, divinâ Christi aspirante gratiâ fructum dabunt in tempore suo. Nam plantare, irrigare, magistrorum id munus est; dare verò incrementum, unius Christi. Nos ergo, ut optimorum virorum desiderio et muneri nostro faciamus satis, ex consilio integerrimorum censorum præclaræ facultatis artium, quorum operâ in lustrandis nuper collegiis usi sumus, hanc legem indicimus singulis collegiorum, professoribus, ut in posterum selectas è sacrâ Scripturâ, præsertim ex evangeliis, aliquot sententias quotidiè discipulis memoriter ediscendas proponant, iisdemque divini illius libri, qui verba vitæ æternæ continet, quàm maximam fieri potest, reverentiam inspirent Datum in ædibus nostris lauduncnsibus v. kal. oct. an. Dom. M. DC. XCVI.

GRATULATIONES.

GRATULATIO

ILLUSTR. ARCHIEPISC. PARIS. DE HARLAY.

Die 26 novemb. 1695.

Libenti semper animo, nec sine quâdam incredibili lætitiâ et alacritate conspectum tuum subire solet academia parisiensis, archipræsul illustrissime. Non veretur reperire isthìc, ut sæpè fit apud magnates, nixum arroganti supercilio fastum, elatosque spiritus. Apud te bonitatem omnia et humanitatem spirant. Scilicet ista tua propria quodammodò et peculiaris virtus est, ad quam et naturâ factus, et consuetudine exercitus, non mirum si omnium in te animos et amorem rapis. Non hoc tibi conferre poterant nec summa claritas generis, nec ista præclara ingenii vis, doctrinæ ubertas, fandi elegantia; non denique ille ipse debitus jamdudùm virtutibus tuis romanæ purpuræ fulgor. Faciunt quidem ista ut coli tu ab omnibus debeas; humanitas verò tua ut non possis non amari. Hæc una cæteris omnibus, quæ in te plurima imminent, condimentum quoddam et pretium addit. Per hanc apud te nobilitas summa cernitur sine superbiâ; excellens eruditio sine ostentatione, eloquentia singularis sine fastu, suprema propè dignitas sine arrogantiâ. Per hanc in omnium

animis leni quidem, sed eò magis efficaci imperio dominaris. Per hanc denique academiæ nostræ paratum semper apud te patet, et certissimum in tuâ auctoritate præsidium. Meretur illa certè (liceat de optimâ matre academiâ paulò jactentiùs apud te loqui) meretur illa certè favorem tuum, eò fortassè magis, quòd hunc importunè humiliterque non flagitat. Quò minùs illa nunc honoribus et gratiâ pollet, hoc tu debes ei favere impensiùs: si quidem vera liberalitas gratuita est. Quanquam hodiernâ die nihil à te sibi ipsi academia, sed toti regno pacem, pacem, inquam, à te postulat. Tuum est, cùm sis quodammodò constitutus Deum inter et mortales, vota nostra et totius Galliæ non offerre solum, sed grata efficere supremo bellorum et pacis arbitro. Quam ergo pacem humana vis et armorum irriti conatus impetrare nequeunt, hanc speramus fore ut preces tuæ, lacrymæ tuæ, pietas ac fides tua ab irato Deo tandem extorqueat.

GRATULATIO AD**

Quas hodiernâ die fudisti pro nobis ad Christum preces, supremo numini fore acceptissimas, et tua singularis pietas spondet, venerande pontifex, et patroni nostri præcellens apud Deum gratia certissimè pollicetur. Dùm ille in terris degeret, quanquam sanctissimâ statim educatione munitus, ex asperrimis juventæ salebris, ad quas plerumquè solet incauta adolescentium castitas naufragium pati, salvus ipse et incolumis evasisset, sic tamen mundi blandientis illecebras, sic vel ipsam humanæ contagionis auram metuebat, ut non nisi receptus tandem in tutas diù desideratæ solitudinis latebras respirare cœperit. Ibi mentem jam planè liberam jugi pietatis pabulo nutriens, corpus verò jejuniorum asperitate castigans atque in servitutem redigens, rerum humanarum prorsùs immemor, unique intentus Deo, dulcibus orationis, silentii, pœnitentiæ deliciis penè dixi saginatus et ebrius, angelicam potiusquàm humanam vitam ducebat.

At ecce abstractus repentè à carâ solitudine, aut, ut veriùs dicam, à se ipso avulsus, ad bituricensis ecclesiæ regimen invitus, hac reluctans vocatur. Fit magna mutatio loci, non ingenii. Solitarii animum sub pastoris habitu retinens, inter publicos omnium applausus sibi ipse despectus ac vilis, in summâ apud omnes sanctitatis famâ suæ nunquàm non saluti tremens, continuos ardui ministerii labores privatis pœnitentiæ austeritatibus cumulans, tanquam publica sui gregis victima feliciter occubuit.

Cunctis ille jampridem periculis liberatus, nostra non ignorat, nec despicit. Jactamur hîc miseri ambitionis fluctibus, avaritiæ curis, contentionum æstu, voluptatum illecebrâ, inanis gloriolæ studio. Profanorum auctorum lectio, quâ per totam ferè vitam conterimur, nescio quâ nos contagione clàm inficit, profanosque nobis paulatim afflat spiritus, hoc est ab evangelicâ humilitate, à christianâ paupertate, a fidei simplicitate, à pietatis infantiâ prorsùs abhorrentes. Hæc sunt nostra privatim pericula, venerande pontifex : quibus si addamus publicas Ecclesiæ calamitates funestis hisce temporibus, ubi antiqua fides et religio in dubium et in discrimen adducitur, quas non tuæ pietati gratias debemus, qui adversùs tot imminentium malorum procellas tuarum nos precum efficaci præsidio munitos esse volueris!

GRATULATIONES

Habitæ dùm C. Róllin res honorandæ Gallorum nationis procuraret. Anno 1717.

Opportunè mihi non minùs quàm jucundè accidit, prætor illustrissime, ut privatos grati animi mei sensus cum publicis honorandæ nationis gallicanæ votis hodiè miscere possim. Ego in illustri Pelleteriorum familiâ et contubernio enutritus puer, paternisque illustrissimi avi tui curis ad bonas artes institutus, si quid exindè in studio litterarum profeci, si quod in academiâ nostrâ nomen obtinui, si post exhaustos aliquot labores honesto nunc et dulci otio fruor; imprimis autem si quis in me gustus est rerum optimarum, si qua religionis notitia, si quod pietatis desiderium, totum hoc generi vestro debere me et quotidiè mecum suavissimè recordor, et hodiè datâ occasione non possum non palàm profiteri. Scio inter domestica exempla, quæ te undique in feraci virtutum familiâ circumdant, unum tibi, prætor illustrissime, præ cæteris cordi esse, penitùsque animo insedisse, viri illius præstantissimi, quem in multiplici vitæ statu et conditione, in privatis publicisque muniis, in secundis adversisque rebus, in curiâ et in aulâ, inter summos et imos, apud principem et populum, in strepitu negotiorum et in solitudinis otio, æquabilis et perpetuus, et sibi semper constans virtutis tenor ad extremum usque spiritum prosecutus est. Illius tu singularem animi modestiam, morum mansuetudinem, sermonis affabilitatem, in tuendis, ami-

citiis constantiam, in colendis litteris litteratisque hominibus acre studium, in audiendis litigatoribus invictam patientiam, in reddendo jure æqui et recti tenacem animum, singulas denique illius in omni genere virtutes nobis redivivas exhibere conaris, dulcis maritus, bonus parens, obsequens filius, amicus acer, dominus liberalis, judex incorruptus, et in his omnibus sincerè et solidè christianus. Hæc sunt verè bona tua, prætor illustrissime, quæ per me tibi natio gallicana libentissimè gratulatur, et fieri in dies auctiora exoptat. Cupit illa ut deferre possis ad tribunal supremi illius judicis qui justitias hominum judicabit, tacitum illud conscientiæ testimonium, quo in Scripturis sacris utitur vir sanctissimus : *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. Justitiâ indutus sum sicut vestimento. Causam quam nesciebam, diligentissimè investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam. Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum : eram mœrentium consolator.*

Quid tibi nostra hæc parisina civitas, quid singuli hujus urbis ordines debeant, prætor illustrissime, nemo non vel ipse expertus est, vel publico rumore audiit. Tu privatorum odia, plebisque rixas amicè et gratuitè componis, ad procurandam civitatis pacem incredibilium laborum, difficultatum, molestiarum, jurgiorum patientissimus helluo. Tu nocturno pariter et diurno tempore ades ubique ad auxilia civium promptus et alacer. Tu, ceu diffusa per totam civitatem anima, nusquàm non præsens, omnia in officio ontines, et evaganti rectum ordinem licentiæ

metu legum et terrore suppliciorum ubique frena injicis. Tu denique erupturas sæpè, nisi statim comprimantur, in apertam seditionem turbas, unius auctoritate præsentiæ in ipso ortu extinguis, sævientis quantumlibet periculi audax et intrepidus contemptor. At quid non privatim tibi nostra debet universitas, prætor illustrissime! incautæ miserorum adolescentium castitati ubique tendit dolos insidiatrix voluptas, et multò nunc quàm antè effrenatior audet apertâ jam fronte et erecto vultu incedere. Tua nunquàm nobis hactenùs hâc in parte opera defuit. Rogat obtestaturque te non solùm gallicana natio, cujus nomine huc hodiè prodeo, sed tota universitas, ut, si fieri potest, tuam hâc in re curam, diligentiam, industriam, quotidiè magis ac magis augeas.

Quod in republicâ munus obis, prætor illustrissime, tot sæpenumerò difficultatibus intricatum est, tot involutum tenebris, ut ei rectè exercendo nulla par esse possit humana mens, quantùmlibet acuta ad conjiciendum et sagax, nisi quid aliundè lucis et præsidii accedat. Scilicet cùm apud tribunal tuum non de fortunis solùm, sed de capite et famâ agatur, non mirum si ad vitandam mortis et infamiæ pœnam, quâ nihil tetrius homini potest accidere, omnia moliatur reus, obfirmatusque pertinaciter ad negandum ita se simulationum, artificiorum, mendaciorum involucris obtegat, ut nulla extent certa et expressa sceleris vestigia. In his rerum angustiis ut religiosus judex penè par periculum effugiat vel damnandi innocentem, vel absolvendi reum, utque ex his latebris certò eruatur veritas, lumen infundatur necesse est ab eo, cui renes et corda scrutanti nuda sunt omnia. Hoc ut sem-

per magis ac magis menti tuæ cœlitùs præsidium adsit optat et precatur honoranda Gallorum natio, prætor illustrissime, dùm tibi per me cereum hunc offert sacro mox lumine accendendum.

Cùm ejusmodi sit commissa tibi juris dicendi administratio, ut ex eâ privatorum tranquillitas et civium fortunæ pendeant, eademque plèna sit laborum, difficultatum, molestiarum, quas quotidiè devorari necesse est, in perferendis litigantium clamoribus et jurgiis, optat per me tibi, propretor illustrissime, honoranda Gallorum natio, ut quæ hactenùs tibi adfuerunt in audiendo patientia, in respondendo lenitas, in excutiendis causis diligentia, in detegendâ veritate sagacitas, in reddendo jure æquitas, si fieri potest, magis ac magis in dies augeantur.

Gratulatur per me tibi honoranda Gallorum natio, vir clarissime, non tam acre ingenium quo polles, vim benè dicendi facilem et expeditam quâ excellis, maturitatem judicii quæ in te annos et usum longè antecedit; quàm præclaram virtutis indolem, velut innatum amorem æquitatis, promptam omnibus benefaciendi voluntatem, et sine quo cætera jacerent omnia, imbutum à teneris pietate et religione animum. Nihil aliud optare possumus, vir clarissime, quàm ut hæc in te bona annorum accessione crescant et confirmentur; ut ames nostram academiam virtutum non minùs quàm artium parentem; ut litteras virosque litteratos nunquàm non foveas; ut magis ac magis pectus imbuas notitiâ legum gallicarum, et jura libertatesque regni acriter tuearis; denique ut

optimum te semper et magistratum et christianum exhibeas.

Munus advocati regii quod in inferiore curiâ obtines, vir clarissime, et ipsum per se gravissimum est, et munit plerumquè ad altiores dignitates viam. In eo munere solet nobilis juventus quasi magistratûs tirocinium ponere, ejusque faustam exercitationem reipublicæ dare velut obsidem futuræ in posterùm industriæ et probitatis. Habes tu proposita ante oculos in tuâ domo et familiâ maximarum exempla virtutum, quibus facilè ediscas quî debeat magistratus in administrandis provinciis regiam auctoritatem non fastu et superbiâ invisam, non aspero dominatu gravem, non inhonesto lucri desiderio et injustis pecuniarum exactionibus intolerandam; sed patientiâ in audiendo, comitate in respondendo, æquitate in judicando, sincerâ cupiditate sublevandi miseros et adjuvandi pauperes, promptâque omnibus benefaciendi voluntate, verendam non magis quàm amabilem et jucundam populis exhibere : quî debeat judex nullis vel terroribus vel præmiis ab officii religione deduci; jura libertatesque regni, patriæ salutem, fidei integritatem vel ipso libertatis et famæ periculo constanter tueri; et in publicâ ferè omnium vel perfidiâ vel ignaviâ, solus stare contra torrentem, nec ab legum et veritatis defensione, nisi solâ morte, avelli. Hæc te exempla imitaturum, et tua egregia indoles spondet, vir clarissime, et honoranda Gallorum natio vehementer sperat.

D. VITTEMENT RECTORI AMPLISSIMO.

Plus-ne in te beneficii contulerit academia, quàm à te invicem acceperit, si dicam in ambiguo esse, nec tibi nec illi injuriam fecisse videar, amplissime domine rector. Illa te parvulum excepit sinu, maternâque verè indulgentiâ per multos annos aluit, fovit, liberalibusque disciplinis instituit. Eadem, ubi per multa experimenta agnovit te pietatis et doctrinæ præceptis abundè instructum esse, utriusque exercendæ præbuit locum, cùm te et dormano sacello ministrum, et eidem collegio philosophum destinavit. Nec satis : commisit tibi curam illius regendæ domûs, sub cujus umbrâ faustis in penetralibus creveras puer : ac demùm, quo nihil habet illa majus, se ipsam tibi gubernandam tradidit.

Tu verò, amplissime rector, sic percurristi varios hosce officiorum et honorum gradus, ut singulis per te non parùm accesserit ornamenti. Eluxit mira docilitas in puero : morum illibata sanctitas in sacerdote, doctrinæ ingeniique vis uberrima in magistro : in moderatore collegii sic vigil et arrecta sollicitudo formandis pauperibus alumnis, quasi essent totidem principum liberi : in rectore demùm quæ non virtus emicuit? ita ut qui antehac tuâ quasi involutus modestiâ, maximâ tuî parte latueras, in hoc supremo magistratu invitus ac repugans, cogente scilicet tuo in academiam studio, totum ipse te quodammodò exeruisse, totasque ingenii, industriæ, eloquentiæ, prudentiæ vires liberiùs explicuisse videaris.

Congestis in te, quoscumque habebat, honoribus

et tamen novis in dies tibi obstricta beneficiis academia dolebat exhaustam liberalitatem suam, nec quidquam reliqui habere se, quo gratum in te memoremque animum testaretur. Subvenit ei laboranti æquus virtutis judex et remunerator Ludovicus. Admotum te spei et educationi regiorum principum, in mediam aulæ lucem, tuâ nequicquam reluctante modestiâ, advocavit.

Quis non, audito hoc nuncio, et tibi, et universitati, et toti regno gratulatus est? Visa sunt prisca florentis academiæ tempora reviviscere, quibus ex hâc nostrâ litterariâ republicâ, quæ semper fuit bonarum artium mater, ingenii cultrix, sapientiæ et eloquentiæ parens, omniumque magistra virtutum; quibus, inquam, temporibus ex hâc nostrâ litterariâ republicâ ad maximos quosque honores facilis patebat accessus. Aditum hunc, quem perdiù academicorum hominum industriæ clausum atque obvallatum tenuerat, dicamne temporum iniquitas, aut potiùs hominum quorumdam alienæ ac præsertim nostræ virtuti invidentium injuria? longo tandem intervallo perrupit tuæ famæ celebritas. Iniquam opinionem, quæ de nobis, quotquot sumus, invaluerat, nos clamori ac pulveri scholarum assuetos, ad nihil aliud valere ampliùs; latinique et græci sermonis inconditâ supellectili oneratos, linguæ autem vernaculæ inopes ac rudes, in patriâ velut hospites esse ac peregrinos; hanc iniquam de nobis opinionem egregiè refellit audita vox tua apud aulam illo percelebri die, quo tu missus ab academiâ de pace gratulator, regias aures, delicatas illas quidem nec laudis insulsæ patientes, sic veritate laudum et elegantiâ sermonis deliniisti, ut omnium aulicorum consensu, et ipsius Ludovici ju-

dicio, triumphare per te de omnibus visa sit academia parisiensis.

Habes eloquentiæ tuæ fructum, rector amplissime, toti quidem academiæ perhonorificum ac perillustrem : tibi verò (novi enim intimos sensus tuos), tibi nec optatum, nec jucundum. Solus tu in communi lætitiâ doluisti : sic te illuc proficiscentem vidimus, penè dicam quasi ires in exilium. Nec dubito, quin ex superbis Versaliarum ædibus sæpè jam oculos retorseris mœrens ad antiqua tecta : et quemadmodùm Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam sapientissimus vir dicitur immortalitati anteposuisse; sic tu dormani collegii parvulas ædes, hoc est alteram tuam patriam, pristinumque vitæ institutum desideraveris.

Scilicet apud nos vitæ ratio modesta et simplex : ambitionis et curarum expers : non imbuta fuco mendacii, non erudita artificio simulationis; convictus facilis inter fidos et pares amicos; à quibus non timeantur insidiæ latentes in simulatione officii : inter quos liceat et sentire quod velis, et quod sentias liberè proloqui : undè procul absint fraus, invidia, assentatio : denique ejusmodi vitæ genus, cujus præcipua voluptas, libri, amici, colloquia, imprimis autem, quâ cætera omnia condiuntur, libertas. Non carebit quidem aula prorsùs his tot commodis : viros enim habet illa non paucos probitate, fide, doctrinâ, modestiâ insignes. Sed tamen mutandum erit vitæ institutum : *hic enim dies aliam vitam affert, alios mores postulat.*

At ista, si quæ sunt, incommoda abundè compensabit quotidianus serenissimorum principum conspectus, in quorum dictis factisque omnibus, immò etiam in vultu, cernere erit certa præsagia futuræ

populorum felicitatis. In admirationem te rapient, et, ut novi te, etiam præ gaudio tibi lacrymas elicient erumpentes in pueris acres ingeniorum igniculi, et quotidiè in parvis etiam rebus sese exercens bona indoles, benefica, docilis : plena tenerrimæ pietatis in Deum, omnia jam nunc religione metiens, nihilque magnum æstimans, nisi quod cum pietate conjunctum est. Ah! cave diligenter, amplissime rector, ne unquàm illam morum castitatem inficiat humanarum opinionum labes, contagio seculi, consuetudinisque imperiosa lex. Cave ne periculosa siren adulatio, et omnia trahens ad se blandis cupiditatum lenociniis voluptas, tenerum puerilis innocentiæ florem pervertat. Hos tibi alumnos suos, sic enim ipsos nunc vocare audet, iisdem brevi patronis gloriatura; hos igitur illustres alumnos, cara pignora, spem felicitatis et publicæ et suæ iterùm atque iterùm tuæ fidei ac religioni commendat universitas. Atque ut caritatem et reverentiam in illos suam significet, præstantibusque Ludovici Magni de te judiciis ipsa respondeat, tibi rectorios fasces unanimi consensu et incredibili alacritate prorogat.

ORATIUNCULA

*Ex personâ domini*** ad senatoriam dignitatem evecti.*

Solebant olim romani adolescentes, senatûs princeps illustrissime, præs. ill. senat. claris. quemadmodùm castrensibus imbui stipendiis, ut parendo imperare discerent, ita etiam à parentibus in curiam induci, ut publici consilii spectatores priusquàm participes, senatorios jam tunc spiritus, dignamque terrarum dominis gravitatem induerent. Eâdem mente nunc paternâ quasi deductus manu prodire huc audeo, ut, quoniam ineuntis ætatis inscitia senum constituenda ac regenda prudentiâ est, sub umbrâ et tutelâ vestræ sapientiæ juventutis meæ infirmitas delitescat. Et verò ubi meliùs possim haurire præcepta et exempla æquitatis et justitiæ, quàm in hoc augustissimo Themidis sacrario, ubi jamdudùm vigent corroborata longo usu juris et legum peritia, indefessus in devorandis negotiorum molestiis labor, in resolvendis litium ambagibus mira ingenii et prudentiæ sagacitas, singularis animi magnitudo, quæ nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert, denique in perrumpendâ iniquitate incredibilis fortitudo ac constantia; ubi vestris judiciis præest vir ejusmodi quem animi major quàm generis nobilitas, generosæ mentis indoles et sine fastu elata, et sine humilitate popularis; fandi vis et dignitas, qualis legum ac Themidis interpretem decet; amor justitiæ et publici boni sic pariter commendant, vix ut statuere possis urbine, an foro, an aulæ habilior sit, vel acceptior?

Etsi tot tantarumque luce virtutum perstringi mentis aciem sentiam, ignoscite quæso, S. P. J., etc., si fateri audeam isto fulgore me terreri minùs, quàm vestrâ benignitate allici. Quam toties optimo parenti meo præstitistis, eamdem mihi spero non defuturam humanitatem. Si vos illius in obeundo munere suo diligentiæ, fidei, integritatis, industriæ non pœnitet, en ille me suis formatum præceptis et exemplis, secessum ipse et otium spectans, vobis offert sui in vos obsequii vicarium et æmulum.

CAROLI ROLLINI

CARMINA.

ILLUSTRISSIMO

D. D. CLAUDIO LE PELLETIER,

REGII ÆRARII PRÆFECTO, ET REGNI ADMINISTRO,

Cum ejus nobilissimi filii Carolus Mauritius et Claudius Le Pelletier theses philosophicas in Sorbonæ-Plessæo propugnarent. An. 1684.

ODE.

Nec te fefellit, quæ super his quoque
Concepta dudùm spes tibi, Pelteri :
Jam cuncta de se vota vincit,
Spesque tuas generosa proles.

Domesticarum cernis ut arduo
Amore laudum concita, nobili
Sudore venales laborat
Colligere ambitiosa palmas.

Languere turpi scilicet otio
Ignara, multis usque laboribus
Æquare gestit fratrum honores,
Et patrium decus æmulari.

Non splendor illos lubricus aspici,
Non quæ superbas nobilium domos
Nocens adulantûm caterva
Obsidet, illecebris fefellit.

Frustrà illa pestis, pectus ad intimum
Subire blandis vocibus efficax,
Tentavit illusas dolosis
Artibus illaqueare mentes.

Hæc nempè quondam, maxime Pelteri,
Quandò sinebant otia, sedulus
Præclara virtutum arduarum
Semina mentibus inserebas.

Jam tùm futuri providus, et timens
Ne cura rerum te raperet tuis,
Natisque tempus destinatum
Publica res sibi vindicaret:

Totum educandæ te soboli dabas,
Faustamque cultu perficere indolem
Festinus urgebas, manumque
Addere cœpto operi supremam.

Hinc ante tempus præcocis ingenî
Maturior vis: hinc sapientia
Annos refellens, et severæ
Insolitus pietatis ardor.

Quæ non paternum crediderim tibi
Subire pectus gaudia, cùm gravî
Negotiorum mole pressus
Innocuos repetis penates?

Hîc obstrepentùm sollicito procul
Rerum tumultu, solus in otio,
Interque natos et nepotes
Dulce parentis avique nomen

Audire gaudes. Hîc juvenum indolem
Ad magna natam conspiciens, potes
Jam mente præsagâ futuros
Enumerare domûs honores.

Jactet superbos ambitiosiùs
Aula apparatus : grandia nomina,
Et quos meretur nota virtus
Accumulet titulos frequentes :

Quòcumque pompam munere nobilem
Illa elaboret, fausta tibi domus
Castos penates inter offert
Delicias pretiosiores.

ILLUSTRISSIMO REGIS ADVOCATI GENERALI

IN SUPREMA CURIA,

CLAUDIO DARGOUGES DE FLEURY,

Cùm ei apud Floriacum commoranti illustrissimus avus, regni administer, Claudius Le Pelletier è suâ Villâ-Novâ persica mitteret.

Quos Nova-Villa tibi fundo de divite fructus
Mittit, amicitiæ pignora fortè putas
Falleris : invidiæ sunt hæc, sunt signa doloris.
Quid porrò invideat, quid doleat-ve, dabo.
Audit sæpè quidem multis laudantibus, audit
Jactari villæ commoda floriacæ.
Hìc spatiis, aiunt, porrecta patentibus ædes
Anteit magnificas area, regis opus ;
Parte aliâ vastum, vivo deducta canali,
Navigii patiens, efficit unda lacum ;
Tùm nemus in longos se prorigit indè recessus,
Quos oculorum acies non queat ulla sequi.
Hìc ab humo erumpens ebullit dives aquæ fons
Et nive frigidior, lucidiorque vitro.
Hæc audit Nova-Villa, intabescensque sororis
Laudibus, infelix uritur invidiâ.
Rustica quandò, inquit, nitidis mapalia tectis,
Floriacumque audent æquiparare mihi ?
Nec decus hortorum, et liber prospectus in agros,
Tectorumque nitor munditiesque juvat :
Fructibus in medio positis, quos utraque nostrûm
Ediderit, litis pendeat arbitrium.
Sic apibus quondam cessit victoria inertes
Adversùm fucos : quemque probavit opus.
Mitto tibi multo radiantia persica sole,
Qualibus hìc domini mensa onerata nitet.

Aspice permistum niveo candore ruborem;
Purpureis dicas lilia mixta rosis:
Quàm fragrans exsudet odor! quàm blandula tactu
Sit caro: nec succo deteriore vigent!
I, nunc, atque meos aude jam, Villula, honores
Vanâ laude tumens posthabuisse tuis.
Quòd si fas contrà, fructûs victoria cedat
Ista tibi; nec sic vincere posse putes,
Restat adhuc, quo me, invidiâ vel judice, dicas
Regum etiam illustres exsuperare domos:
Egregius contemptor opum, contemptor honorum,
Quo fruor hîc felix hospite, Pelterius.

Hæc cursim, ac properans, et penè equo insidens, jamjam Lutetiam rediturus, exarans, ita ut nec describere licuerit, nec religere. Hæc tu, si lubet, releges et emendabis. Vale, iterùm atque iterùm vale, mi Floriace, meque ama ut amaris à me. Carissimos fratres tuos totamque perillustrem familiam saluto.

C. Rollin.

ILLUSTRISSIMO ABBATI
CAMILLO DE LOUVOIS,

BIBLIOTHECÆ REGIÆ PRÆPOSITO,

Cùm de Homeri Iliade et Odysseâ in bibliothecâ regiâ responderet. An. 1688.

CARMEN.

VATUM magne parens, Trojâ pugnata sub altâ
Qui versu æterno celebrâsti bella, gravemque
Pelidæ stomachum, et cursus patientis Ulyssei;
En tibi, quas vulgus studet obscurare profanum,
Parvus, Homere, puer primo in certamine laude:
Asserit, et meritum famæ immortalis honorem.
Vos ò, doctorum partu quos læta virorum
Terra pelasga tulit seclis melioribus, orbis
Deliciæ quondam, nunc, heu! ludibria; quos hæc
Non intellectos damnat vel negligit ætas
Proh pudor! obscuris quamprimùm exite latebris.
LUVOIDES, magno soboles patre digna, Camillus
Antiquum instaurat vobis decus. Auspice tanto
Ne dubitate altis vos ultrò offerre potentum
Ædibus, ipsorumque intrare palatia regum.
Jam neque projecti, venalis turba, tabernæ
Turpiter ante fores, nudâve crepidine pontis
Porrecti, solem ventosque feretis et imbres;
Nec tenebris posthac et opacâ nocte sepultos
Pulvisque, blattæque, obliviaque invida carpent.
Ordine cuique suo dabitur prodire sub auras,
Nec quemquam indecorem puer intactum-ve relinquet.
Ac veluti primo quamvis turgescat in ortu
Dives aquæ, tortoque erumpat vortice flumen:

Usque tamen crescit, fluctusque acquirit eundo,
Et vectigales de montibus advocat undas.
Sic quoque, Luvoides primis conatibus ipsos
Penè ausus superare senes, crescentibus annis
Æmulus ipse suî crescetque, animumque capacem
Undique collectis opibus ditare laborans,
Et Romam et totas avidus spoliabit Athenas.

Jamque hodiè immensum reserare interpres Homerum
Aggreditur, magnoque offert hæc munera patri,
Primitias puer illustres, pulchrique laboris
Clara rudimenta, et venturæ pignora laudis.
At pater attonitus pendet narrantis ab ore:
Dùmque animis inhians trojani incendia belli,
Præliaque armorumque avidâ bibit aure tumultus;
Imbelli dùm versa fugâ agmina cernit,
Oppida versa, armis captas victricibus arces;
Se quoque principibus permixtum agnoscit Achivis.
Ipse videtur adhuc te fulminis ocior alis,
O Lodoice, sequi, celeri quo concita pennâ
Fulgentem rapit antevolans victoria currum.
Quin sua mœonio celebrari tempora versu
Penè putet, nisi tot ductores inter Achivos
Te frustrà, similemque tuî, Lodoice, requirat.

Intereà incensus studiis plausuque faventûm
Difficiles nodos puer, ambagesque resolvit
Ludenti similis. Gestu nutuque loquaci
Et blandâ astantes mulcet dulcedine vocis.
O qui frontis honos! oculis quàm vividus ardor
Dulce micat puero, certissimus ille latentis
Index ingenii! quàm pulchra modestia vultus!
Quàm nativa sedet puerili gratia in ore!
Ut totus captat, totusque meretur amorem!
Quid si oculis cerni possint, quæ pectore in imo
Indeprensa latent magnarum semina rerum!
Ingenitus virtutis amor, mens cerea flecti
In rectum, docilisque sequi quòcumque vocâris,
Et patrem patruumque imitandi nobilis ardor!

Macte istâ virtute, puer. Tali indole (si quis
Lætitiæ sensus superest post funera, si quid
Terrenum dulce est, et adhuc mortalia tangunt),
Tellerii magnos recreas tali indole manes.
Et nunc ille quidem supremâ ex ætheris arce,
Emeritum quò facta senem evexêre, fidesque,
Justitiæque et pacis honos, regique probatum
Pectus, amor populorum, inimica modestia fastûs,
Totque indefessi pro relligione labores;
Ille quidem votis felix nihil ampliùs optat,
Quàm te dignum aris et avitâ laude videri.
At satis est. Pulchro jam finem impone labori.
Quid tua, quid patrui, quid patris gaudia differs?
I, rue in amplexus patrui, rue in oscula patris.
At postquàm impleris magnum genitoris amorem,
Auribus hoc patriis monitum instillare memento;
Commendat tibi seque, suosque academia honores.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM

FRANCISCUM-MICHAELEM LETELLIER,

MARCHIONEM DE LOUVOIS, REGNI ADMINISTRUM, etc.

Cùm ejus filius Camillus de Louvois, abbas, bibliothecæ regiæ præpositus, de Theocrito publicè responderet. An. 1689.

CARMEN.

Ecce iterùm nova te, Luvoe, ad gaudia natus
Invitat felix studiorum; et patris amorem,
Crescere quandò nequit, magis ac magis usque mereri,
Spesque implere tuas, imò et superare laborat.
Ergo ades, et gravibus paulùm te surripe curis,
Si potes. Hoc certè Lodoix velit, hoc velit ipsa
Gallia, rerum inter te pondera tanta parùmper
Respirare : tibi non invidet illa quietis
Lætitiæque brevem usuram; pretiosaque lucro
Apponit gaudens longi intervalla laboris,
Quæ regi incolumem præstant regnoque ministrum

Dulcia cùm nuper regnarent otia; in ipso
Pacis bella sinu cecinit, pugnasque Camillus.
At nunc cùm laxis discordia sævit habenis,
Grandiaque attonito spectacula præparat orbi;
Cùm gentes malesanæ injusto marte lacessunt
Ultorem regumque et relligionis avitæ :
Blanda syracusii canit idem carmina vatis,
Pastorumque leves, innoxia jurgia, rixas,
Pacis opus; placidam spirant hîc omnia pacem.
Hac puer arte patris curas, variisque labores
Fallere imaginibus gaudet, lætisque severa
Temperat, et dulci mutat benè seria ludo.

Bellonæ hîc Martisque loco meliora coluntur
Numina; Pan custos ovium, Sylvanus agrorum,

Cum satyris hilares fauni, nymphæque sorores,
Quæ juga, quæ sylvas, fontesque et stagna pererrant.
Illinc cum socio canit upilione bubulcus
Pignore deposito, et præsenti judice certant.
Pastores etenim tangit quoque gloria, inani
Nec metuunt pingues vitulos pro laude pacisci.

Hinc juvenis, fugit æstivos dùm languidus ignes,
Cantando fovet ipse alios, quibus uritur, ignes.

Quin etiam duro solitus tolerare labore
Vitam inopem, rapidique æstum contemnere solis,
Oblitus nunc ipse suî, rerumque suarum
Messor amat; frustràque audit meliora monentem.

Hîc quoque, ne qua tibi vitæ pars desit agrestis,
Ævum agitans mediis aderit piscator in undis.
Olli cymba domus, labor æquora, præmia pisces.
Strata jacent passim, calathique, hamique tenaces,
Retiaque, et funes, et viminei labyrinthi,
Divitiæ miseræ: comes usque assistit egestas,
Atque fames: somnus brevis, otia nulla, labores
Perpetui, curæ nec in ipsâ nocte relinquunt.

Ante alios tibi grata dabit spectacula cyclops.
Dùm vanas insanus opes, formamque, genusque,
Et vocem surdas nequicquam jactat ad aures.
Hîc verò brutas mirabere, non sine risu,
Blanditias, stolidique iram pastoris agrestem;
Imprimis, dignum Polyphemo munus amante,
Ursorum informes catulos, quos ille tenellæ
Villosos, similesque suî, dat habere puellæ.
Hæc, et quæ longum percurrere singula, doctis
Quæ semper placuêre viris, semperque placebunt;
Rumpantur licet invidiâ qui talia damnant;
Hæc, Luvoe, tibi parat enarrare Camillus,
Doctorum jam nunc decus et tutela Camillus,
Seu quos prisca tulit, seu quos hæc suspicit ætas.
Tu modò dùm totâ puer applaudente coronâ
In tenui ludet, tenui non dignus honore;
Fortunate parens, non est mora longa, faveto.

IN OBITUM CLARISSIMI VIRI

CAROLI GOBINET,

E societate sorbonicâ doctoris, et collegii Sorbonæ-Plessæi moderatoris. An. 1691.

EPICEDIUM.

Nempè ubi fata homines in publica commoda natos
Præripiunt; tardo quanquam pede lenta, suoque
Tempore mors veniat, rapido tamen invida cursum
Accelerâsse gradu, necdùm matura videtur.
Hinc nos, ceu primo raperetur flore juventæ,
Extinctum durâ lugemus morte parentem:
Nec, licet annorum plenus suprema senectæ
Tempora contigerit, satis hunc vixisse putamus.
Heu! nihil humanis fas quemquam fidere rebus.
Longa videbatur seniorem ac certa manere
Annorum series: aderat provecta senectus
Illa quidem, sed cruda tamen viridisque; nec ævo
Obruta languenti, nec turpibus aspera rugis.
Ingenii priscum non illa extinxerat ignem,
Non tremulos in humum gravis incurvaverat artus.
Canitiem tantùm addiderat; frontemque, capillosque,
Atque genas niveo pingens candore, serenam
Majestatem ori, blandosque afflârat honores.
Mira senis species: caput altum, erectaque cervix,
Incessus stabilis, vestigia firma, salubre
Corpus, inexhaustæ vires, nil denique longo
È senio, nisi rerum usu prudentia major.
At subitò incurrens vis morbi incognita corpus
Perculit, ac lentâ paulatim tabe peredit.
Sic annosa diù vivaci robore quercus

Ingentem postquàm truncoque et frondibus umbram
Præbuit, ac pluvias contra rapidumque furorem
Ventorum multos stetit inconcussa per annos :
Sævo enecta gelu, vel edaci putrida ab imbre
Languet, et æstivo nequicquam animata calore
Concidit autumni sub frigora prima, nemusque
Attonitum strepitu terret subitâque ruinâ.

Nominis æterni si te jam fama moveret,
Magne senex, famam assereret domus ista perennem,
Quæ per te obscuris in lucem educta tenebris,
Auspice Richelio, Sorbonæ matris ad umbram
Crevit in immensum, longos mansura per annos.
At te nec vivum perstrinxit gloria inanis;
Et nunc frigida mors cùm mentem è carcere solvit,
Eripuitque atram pulsâ caligine nubem,
Quæ solet humanos visus hebetare; superbos
Jam fastus hominum, terræ jam grandia rides
Nominaque, et titulos, et clari insignia honoris.
Ergo juvat, venerande senex, pro sedibus istis
Quas nobis posuit tua dextera, nos tibi cœli
Æternas optare domos, æterna precari
Gaudia. Quanquam alto jam nunc transcriptus Olympo
Longorum optatâ fruitur mercede laborum.

Nam si illuc iter est per difficiles ærumnas,
Per certamina dura, indefessosque labores,
Vita omnis gravibus Gobineto exercita curis
Mercedem hanc meruit. Teneram formare juventam,
Quantum opus, ô superi! quantus labor? æquore non tam
Difficile in medio luctantibus undique ventis
Dirigere incertam per aperta pericula cymbam :
Non tam præcipitis motus componere vulgi,
Cùm furor armorum et scelerata insania belli
Excutit imperii frenum, legumque refringit
Vincula, quàm certos intra compescere fines
Instabilem turbam puerorum, animosque severis
Legibus indociles et pectora dura domare.

Undique sævi hostes circumstant, undique monstra,

Ætati, ah! nimiùm incautæ minitantia certam
Perniciem. Hinc consanguineo comitata sopore
Pigrities, madidam redimita papavere frontem,
Ostentat dulces somnos, placida otia, inertes
Delicias, odiumque afflat malesuada laboris.
Parte aliâ illecebris armata potentibus, atque
Omnigenum turbâ scelerum stipata voluptas,
Heu! cœcos juvenes turmatim in operta ruentes
Retia, præcipiti secum trahit agmine victrix.
Illius si qui, rara est quæ turba, latentes
Insidias fugêre, superbia protinùs ipsos
Aggreditur, tumidoque implet præcordia fastu,
Hoc metuenda magis, quòd non solet illa timeri.

Quin etiam, cùm jam accedit robustior ætas,
Ambitio, procul illa tamen longoque recessu,
Divitias, luxus, et pompam ostendit inanem,
Muneraque, et dulci prætentat corda veneno.
Cunctæ adsunt pestes: ludi furiosa libido,
Inconsulta animi levitas, temeraria lingua,
Garrulitas, vindicta, malus pudor, ira, latensque
Invidiæ livor, sanctarum incuria legum,
Contemptusque Dei, et vitiorum cætera turba.
His obluctari monstris noctuque diuque,
Hos inter medium diros versarier hostes,
Hos premere æternùm, sævoque lacessere bello,
Vita laborque fuit Gobineti. Doctior illo
Non alius sese puerorum in pectora sensim
Inserere, et teneras huc illuc flectare mentes.

Ille animi solers in quaslibet ire figuras
Noverat, et vultum benè mendax arte salubri
Dissimulare suum: sævo nunc tetricus ore
Sublatoque supercilio metuendus; amico
Nunc blandè invitans nutu atque affabilis ultrò;
Illecebras gravitati, et lenibus aspera miscens,
Interdùm irato similis, similisque minanti;
Nonnunquàm lacrymis mansuescere nescius, atque
Difficilis tractari: Idem modò cedere gaudens,

Imò preces facili veniâ præcurrere lætus.

Ingenia imprimis felix dignoscere : namque
Indole pro variâ variis decet artibus uti.
Ille, nisi institeris rigidus, frenumque timoris
Injicias, languet : hic indignatur acerba
Imperia, et duris renuit parere magistris :
Quosdam laus acuit, quosdam objurgatio mordet.
Prudens ergo senex nunquàm conamine cæco
Tendebat, quâ mollem aditum natura negabat
Dura; sequebatur quâ se dabat illa; secundo
Ut qui remigium demittit flumine, fertur
Sponte suâ, placidoque immotus labitur æstu.
O quàm blanda pium recreabant gaudia pectus,
Cùm juvenem, recto de tramite quem malus error
Incautum expulerat, vel prava libido catenis
Constrictum gravibus domina imperiosa tenebat;
Avulsum sibimet, vitiisque, tenacia tandem
Vincula propositi certum rupisse videbat,
Virtutisque novum per iter non jam pede inerti
Nec respectantem, sed firmo incedere passu !

Quot nunc clara micant castris, templisque, foroque
Lumina, plessæâ quæ primùm hausére palæstrâ
Illius quâ nunc fulgent primordia lucis :
Quorum olim nascens hæc intra limina virtus
Paulatim curis Gobineti exculta paternis
Crevit, et in summos sic tandem adolevit honores?
Voce, animo, exemplis pueros, se denique toto
Virtutem docuit : vigiles nec finibus iisdem,
Queis mortale ævum, potuit concludere curas.
Parte suî meliore etiam post fata superstes,
Multiplices libros numerosaque scripta reliquit,
Quæ, dùm relligio stabit, pietasque, fidesque,
Dùm pueris recti verique infundere amorem
Cura erit, æterno florebunt semper honore,
Ad serosque ibunt nunquàm interitura nepotes.
Quid caræ majus poterat præstare juventæ?

Immenso cumulum moriens tamen addit amori.
Ut versari inter pueros post funera præsens,
Officiumque ut possit adhuc præstare magistri,
Ædibus his corpus, mentem dat habere nepoti.

ILLUSTRISSIMO ABBATI

CAMILLO LETELLIER DE LOUVOIS,

BIBLIOTHECÆ REGIÆ PRÆPOSITO,

In tabulam ab eo regi dicatam, cùm theses philosophicas in collegio Mazarineo tueretur. An. 1692.

CARMEN.

QUID! dùm mutæ artes regis famulantur honori
Certatim, saxoque, et marmore, et ære loquaci
Venturis properant Lodoicum ostendere seclis,
Non etiam vates ipsum æternare laborent
Carminibus, quorum stat semper gratia vivax
Marmoribus, saxis, ipsoque perennior ære!
Ergo magnificâ quæ tu, Luvoe, tabellâ
Grandia magnarum reseras spectacula rerum:
Præsentis causas, seriemque, et crimina belli.
Principum amicitias infausto fœdere junctas,
Et quos relligio retulit Lodoixque triumphos:
Cuncta tibi, cœptis faveas modò, carmine reddam.
Proh superi! insanas quis enim malè fœdere rupto
Dirus in arma rapit gentes furor? Undique nobis
Fatalem video tela intentare ruinam.
Agnosco varios vultus atque arma furentûm.
En Germanus adest, et equo sublimis ab alto
Primas ante acies atque arduus ense minaci
Emicat, ora ferox. At enim quid colla reflectens
Respicit? an dubios animi, longumque morantes
Increpitat vultu socios? an fortè relicti
Pœnitet Ottomani: nuperque obsessa Viennæ
Mœnia succurrunt animo, stragesque suorum,

Et desolatæ repetitis cladibus urbes?
Frustrà tendis amor patriæ; tuque ipsa ruentem
Relligio revocare: odia in nos improba vincunt.
Ponè subit vultuque supercilioque severo
Fuscus Iber, bello clara olim nomina, sed nunc
Exiguæ vires, solitoque superbia major.
Jamque parat longam spoliis expletus opimis
Exsaturare famem, et veteres sarcire ruinas.
Hunc juxtà incensus rabie, trux ingruit Anglus.
Aspice, torva tuens spiransque immane, cruentam
Ut procul intentat contortis viribus hastam.
Scilicet hunc scelerum furiæ veterumque novorumque
Exstimulant, regumque sacer cruor, Anglia quo nunc
Fumat adhuc, diris exindè agitata procellis,
Et nunc omnigenûm sedes infausta malorum.
Impia tunc etiam fatis abreptus iniquis
Arma, Sabaude, paras? nec te cohibere furentem
Relligionis amor poterit, nec sancta vetustæ
Fœdera amicitiæ, et cognatus sanguis, et ipse
Defensor regum Lodoix, tua cujus ad umbram,
Præda futura hosti, victrix infantia crevit?
Nempè tuasque nives et scabra cacumina speras,
Credule, Gallorum mutare feracibus agris,
Quos tenui limes discriminat intervallo.
Ah! tibi si qua super famæque et cura salutis,
Nec furor est patrio spoliatum excedere regno,
Projice tela manu: clypeus tibi et ensis in hostes
Sit Lodoix; his te meliùs tutaberis armis.
Quò se autem Batavus prono sic corpore demens
Præcipitat? Socia hic non ultimus agmina junget,
Impatiens otî, gens nata fovere tumultus
Sacrilegos: regum hostis atrox, eadem æqua tyranno.
Illa tamen toties Lodoicum experta tonantem,
Debuerat veterum meliùs meminisse malorum.
Quid memorem, quorum hæc coeunt in bella catervæ,
Brandeburgenses, Bavarosque, et Saxonas, et quos
Horrida nos contra Germania parturit hostes?

At quæ tot populos variis ex partibus orbis
Communi potuit concordia jungere vinclo?
Hæresis. Illa procul Francorum à finibus, olim
Quò flammis ferroque armata irruperat, uno
Legum expulsa metu, ad gentes confugit amicas
Auxilia implorans. Viden'ut prostrata, jacensque
Victoris dextrâ Lodoici et fulmine frendet
Horrendum stridens, spumamque agit ore cruento:
Vipereosque angues et flammea lumina torquens
Nequicquam, sese domitorem attollere contra
Velle videtur? at exanguem conamine in ipso
Deficiunt vires, et vulnera sæva retardant.
Non ponit tamen illa minas, aut victa quiescit.
Sed dextrâ vibrante faces attollit, et usque
Tartareâ accendens sociorum pectora flammâ,
Omnibus unà animos, vires, odia, arma ministrat.

Hactenùs hostiles iras, aususque nefandos,
Et conjuratas hæc regna invadere gentes
Horruimus. Parte ex aliâ succedit imago
Lætior, et meliora oculis spectacula præbet.
Gentili clypeo, gladioque accincta micanti
Gallia stat contrà, populosque hinc indè ruentes
Despicit, et nisus interrita ridet inanes.
Non strepitus armorum inter bellique fragores,
(Dùm totus circum sævis terroribus orbis
Concutitur) dubiâ trepidat formidine. Si quis
Sollicitat pavor, heu! caro timet illa parenti,
Quem pro se medii ruere in discrimina belli,
Et pretiosam animam dolet objectare periclis
Namque vides illam Lodoix ut corpore toto
Protegit, infestisque unus defendit ab armis?
O qui frontis honos, quàm nobilis ora serenat
Majestas! placido quàm pulchra superbia vultu
Eminet! Ut lenis simul et metuendus, eodem
Tranquillat nutu Gallos, et territat hostes!
Forsitan undè ipsi fiducia tanta, requiras?
Suspice: præsidium viresque expectat ab alto.

Nube sedens en Relligio cœlestia promit
Desuper auxilia, et numen dat habere secundum.
Olli nil mortale : gerit manus altera, sacrum
Pignus, adorandæ metuenda volumina legis,
Et regum valida arma crucem : manus altera supplex
Commendat superis Lodoicum et gallica regna.
Attollens oculos patrio pia mater Olympo,
Supremum numen sic compellare videtur :
Huc ades, ô regum dominator, et arbiter orbis,
Huc ades : hic tua res agitur. Te te ista lacessunt
Impia tela, tuis hoc bellum indicitur aris.
Nusquàm sancta fides. Cuncti mea signa volentes
Deseruêre : unus Lodoix tua jura tuetur.
Ergo age (namque potes vel solo vertere nutu
Imperia, et regum tumidos contundere fastus),
Arripe tela, pater, dextramque extende potentem
Quâ toties fultus Lodoix ad littora Rheni,
Ad Scaldim, Sabimque superbos perculit hostes.
Disjice compositum tua contra altaria fœdus :
Obrue dispersos : terrorem immitte fugamque.
Discant clade suâ moniti non temnere numen.

Nec vanæ cecidêre preces. Quò gallica cumque
Arma pius Lodoix circumtulit, ipsa secuta est
Relligio : nec se comitem Victoria utrique
Abnuit, invicto gaudens impendere regi
Vectigalem operam, justisque occurrere votis.

Non potuit spatio inclusus breviore periti
Artificis labor illustres superaddere pugnas.
Idem alio memores insculpet in ære triumphos :
Imprimis geminas spatiis majoribus urbes,
Immortale decus manuum, Lodoice, tuarum ;
Gallica ubi nuper fixisti lilia victor,
Nequicquam Batavo spectante, fremente tyranno.

Illinc Hannoniæ summis in finibus, inter
Præcipites fossas et propugnacula montes
Cernere erit. Galli innumeris circùmundique turmis
Improvisi aderunt : ita digeret omnia ductor

Ipse operis Lodoix. Hominum tot nata repentè
Millia tellurem gremio effudisse putabis.
Per varias artes antè exportata latenter
Omnis abundabit variarum copia rerum :
Regnabitque etiam plenis opulentia castris,
Vicinum dùm sæva fames populabitur hostem.
Tellerides aderit Lodoici fulmina portans,
Tellerides fidus belloque et pace minister.
Ille more impatiens, indefessoque labore,
Et vigili studio loca singula promptus obibit,
Regia jussa ferens. Extremum hoc munus habeto,
Relligio : tibi enim ad Montes, tibi, sancta, laborat.
Tuque ò, cui primis sese devovit ab annis,
Optime rex, supremum habeas hoc pignus amoris.

Surget inaccessum diversa ex parte Namurcum.
Vectus equo Lodoix et pulchro sordidus imbre
Lustrabit muros : fugient trepida agmina in arcem.
Ductorem in Batavum dextras et lumina versi
Clamabunt, properet fractis succurrere rebus.
Spectatum-ne suas strages ac dedecus ultrò
Venerit? ambiguis quid enim hinc erroribus atque hinc
Circumagat turmas gelidus cunctator? opem-ne
Ventosa in linguâ tantùm ferat? anne sedendo
Debellare hostem speret, sociosque levare?
Ille recusabit dubio se credere marti,
At formidatæ Lodoici occurrere dextræ :
Scilicet infelix pugnarum, et gallica semper
Arma malè expertus : melior furtiva per artem
Ducere concilia, et sceleratas texere fraudes,
Quàm capere obsessam vel solvere viribus urbem,
Aut mediis hostem contra concurrere campis.

Ergò ne bella iterùm pars ipsa extrema tabellæ
Offeret? atque oculis iterùm ferus ingruet horror?
Ecce furens Bellona, abruptis libera vinclis,
Sæva manu quatit arma, et templo erumpit aperto.
Quis puer ille autem, blandâ qui obsistere dextrâ
Pallidulus subitâque rigens formidine tentat,

Et rabidæ toto se opponit corpore nitens?
Ah! nimium agnosco: nos hæc, nos tangit imago.
En mœrent circùm, queis præsidet hic puer, artes.
Strata jacent passim per humum instrumenta, supellex
Musarum infelix, nec duro accommoda Marti.
Astriferi cœlorum orbes, calamique, coloresque,
Et numeri sine honore latent caligine in atrâ:
Muta silent jam plectra, lyræ, citharæque sonantes:
Aruit heu! sterilis, doctorum præmia vatum,
Laurus: apollineas renuit jam cingere frontes,
Nec nisi bellantûm victricia tempora quærit.
Huc igitur pax alma redi, pax aurea, terris
Pax optata diu, pax, dulce et amabile nomen.
Intereà pergas, Luvoe, perennibus artes
Excolere officiis. Illæ tibi plurima debent,
At tu plura illis. Claro quòd nomine jam nunc
Docta per ora virum volitas: quòd pectus abundat
Cecropiæ variis opibus latiæque Minervæ,
Nec tumidum fastu est: quòd te lenemque, bonumque,
Et facilem accessu, quòd vultu animoque modestum
Mirantur certatim omnes, mihi crede, superbæ
Non hoc divitiæ poterant concedere; doctis
Artibus hoc debes. Partum tuearis honorem
Tu modò, jam facile est; et pergas esse quod audis.
Votorum hæc mihi summa, tibi nil ampliùs oro.

ODE

IN EXPUGNATIONEM NAMURCÆ,

Ex gallica ode Nicolaï Boileau Despréaux in latinam conversa.

DOCTISSIMO ET CLARISSIMO VIRO

NICOLAO BOILEAU DESPRÉAUX,

HENDECASYLLABI.

Gallici decus arbiterque Pindi,
Codris ac Baviis timende vates:
Per quem laude vigens novâ vetustas
Contra murmura plebis imperitæ,
Et convicia stat calumniantum:
Munus accipe, te, Bolæe, dignum:
Quod tu, sis licet aure delicatâ
Judex difficilis, severiorque,
Non tamen, reor, improbare possis.
Versus ecce tuos tibi latinis
Donatos numeris modisque mitto.
Nostris credideram hoc opus camœnis
Intractabile. Nubium meatus
Tecum tendere in arduos verebar,
Pennisque imparibus sequax hirundo
Post audacem aquilam volare stridens
Insuetum per iter. Sed astitêre,
Quotquot Roma tulit bonos poëtas,
Inservire operi tuo, locumque

Versus inter habere gestientes
Vatis, vindice quo perenne servant
Illæsi decus inter inquietà
Allatrantum odia, irritosque morsus.
Imprimis tua cura amorque Flaccus,
Flaccus deliciæ tuæ, superbis
Te cujus spoliis nitere, dudùm
Grex crepat malesanus invidorum:
Ardet dicere principis triumphos,
Qualem tempora nec tulêre prisca,
Qualem nec sua vinditavit ætas.
Terretur tamen insolens locorum
Aspris nominibus, rudesque contra
Luctatur fluvios diù: sed omnes
Moras vincit amor tuî, nec ullus
Te propter labor arduus videtur.
Perge ergo veterum, Bolæe, famam,
Et scripta, et decus, ut facis, tueri.
Junctis hoc precibus reposcit à te
Quidquid est hominum eruditiorum,
Quidquid est hominum politiorum,
Et sani ingenii, bonæque mentis.
Corvorum intereà sinas cohortem
Te contra crocitare garrulorum.
Quid possunt aquilis nocere corvi?

σοφὸς ὁ πολ-
λὰ εἰδὼς φυᾷ.
μαθόντες δὲ, λάβροι
παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὡς,
ἄκραντα γαρύετον
Διὸς πρὸς ὄρνιθα θεῖον,
Pindar. od. 2. Olymp.

Natura vatem sola facit. Labor
Si quos per artem promovet improbus,
Clamore nequicquam procaci
Rauca crepant crocitantque corvi
Contra ministrum fulminis alitem.

ODE
IN EXPUGNATIONEM NAMURCÆ,

An. 1693.

Quis fronte sacro dulciter ebrium
Repentè doctus me furor abripit?
Fallor-ne? Castas en sorores
Ante oculos mihi Pindus offert.

Huc vos, Camœnæ, dùm lyra parturit
Sonora cantus, ferte citæ pedem:
Adeste, et arrectis modosque
Auribus ac numeros notate.

Concussa pronis arboribus mihi
Jam sylva plaudit. Vos, jubeo, graves,
Silete, venti: Ludovicum
Aggredior celebrare versu.

Audax volatu Pindarus arduo
Secare tractus ætheris invios,
Cœtusque vulgares perosus,
Longè humiles fugiente pennâ

Terras relinquit. Tu, lyra, tu potes,
Si fida jussos reddideris sonos,
Audita sylvis montibusque
Threïcios superare cantus.

Proh! quanta moles surgit in æthera!
Phœbusne, murorum inclytus artifex,
Comesque Neptunus laboris,
Rupibus imposuêre celsis

Turres superbas? hinc Sabis, hinc Mosa
Fluctus amicos consociare amant:
Hostique inaccessas profundo
Gurgite, præcipitique fossâ

Tuentur arces. Ærea desuper
Centum è tremendis culminibus tonant
Tormenta, ferratasque torquent
Ignivomo procul ore mortes.

Hinc indè miles cedere nescius,
Ipsi nec impar viribus Herculi,
Muros coronans, fulgurantes
Aëriâ jaculatur audax

Ab arce flammas, et crepitantia
Subjectum in hostem fulmina decutit.
Quin et dolosis terra celans
Undique visceribus paratos

Erumpere ignes, ut propiùs subis,
Infida rupto nempè sinu vomit
Repentè Vulcanum latentem, et
Sulphureum reserat sepulcrum.

Namurca, turres ante tuas ferox
Hæreret olim Græcia plus decem
Lustris, et incassùm suorum
Funera mille ducum videret.

At quis catervas innumerabiles
Inter tumultus horrisonos trahens,
Quis ille bellator propinquat,
Aggeribusque tuis ruinam

Minatur audax fulmineâ manu?
Quos dat fragores! Jupiter ipse adest,
Aut qui triumphatis superba
Montibus imposuit trophæa.

Agnosco frontem, lumina, regios
Vultûs honores : omnia Ludovix.
Jam cerno pallentem sub ipsis
Nassavium trepidare castris.

Frustrà Batavus jam docili jugum
Cervice portans, et leo belgicus,
Olimque germanæ feroces
Nunc humiles aquilæ, britannis

Servire pardis accelerant. Pavor,
Quem sparsit ipso nomine Ludovix,
Terrore concussos recenti,
Cogit in auxilium remotas

Vocare gentes. Hos Tagus aurifer
Mittit perustos solibus : hi domos
Linquunt pruinosas, pigroque
Finitimas Boreæ paludes.

Repentè sed quæ vis fera turgidos
Irritat amnes? Arva decembribus
Mirantur exangues gemelli
Undique diluviis natàre.

Ante ora sævis prædam aquilonibus
Perire messem strata gemit Ceres,
Urnisque nimbosis furentûm
Mersa hyadum sua regna plorat.

Laxate vestris frena furoribus,
Imbresque, ventique et populi, et duces:
Armate nos contra pruinas;
Colligite innumeras cohortes :

Namurca versis aggeribus tamen
In pulverem ibit : scilicet hâc manu
Arces tremendas fulminante,
Oppida quâ cecidêre centum :

Quâ, terror ingens, Cameracum ruit,
Pendensque celsâ rupe Vesontio,
Limburgus, Hispanoque fastu
Ganda tumens, Ypra, Dola, Montes.

Non falsa vates auguror. En tremit
Concussa moles : jamque sub ictibus
Muri laborantes fatiscunt,
Præcipitemque trahunt ruinam.

Mars, rupe ab altâ ferreus imminens,
Fragore vasto mortiferos procul
Eructat ignes : fœta flammis
Machina sulphureis, repentè

Sublata in auras, fulminis intimos
Quærit recessus : mox strepitu gravi
Videtur infernas relabans
Velle sibi reserare sedes.

Huc ô, Namurcæ rebus in ultimis
Spes sola, linguis egregii duces,
Adeste, Nassavique prudens,
Tuque ferox Bavare : hinc licebit

Impunè tutos post vada fluminis
Cuncta intueri. Terribiles minas
Murorum, et anfractus malignos,
Difficilesque aditus locorum

Spectate : ut aspris rupibus impiger
Reptando miles nititur : ut grave
Cœnum inter ac flammas, laborem,
Dux operis, Lodoicus urget.

Inter procellas turbinis ignei
Cristam eminentem vertice regio
Spectate, sidus Gallo amicum,
Hostibus at pariter timendum.

Ut lucet, illuc scilicet omnibus
Victoria alis advolat, aureos
Currus triumphalesque lauros
Approperans, sequiturque passu

Victorem anhelo. Quin agite, inclyti
Heroes, oræ maxima belgicæ
Tutela : vos huc, tempus urget,
Omnibus huc properate turmis.

En totus in vos lumina contulit
Arrectus orbis. Nunc animis opus.
Jam cerno latis ad Mehannam
Signa procul volitare campis.

Miratur amnis pauper aquæ suis
Tot ire ripis agmina militum.
Ite ergo. Quid? tranare segnes
Exiguum trepidatis amnem?

Haud Gallus obstat : littoribus procul
Ultrò reduxit castra : patens iter
Vobis relinquit. Quid moratur
Tot peditumque equitumque turmas?

Vultusne Galli ferreus aspici
Repentè sistit? Quo validi duces
Fugêre, dementes ruinas,
Gallico et imperio minati

Crudele funus? qui ruere omnia
Ferro parabant, et Tamesis procul
Ab usque ripis atque Dravi,
Sequanicos superare fluctus.

Terror Namurcæ mœnibus interim
Augetur : arcis jam petit ultimæ
Hispanus extremos recessus :
Protinùs hunc medios per ignes,

Per tela Gallus persequitur ferox :
Interque rupes, atque cadavera,
Armorum et ingentes acervos,
Latum iter ense aperit cruento.

Actum est : ab alto triste sonans dedit
Fatale signum buccina : supplices
En cerno dextras, flamma cessat,
Urbsque patet reserata portis.

Nunc, nunc feroces ponite spiritus,
Infensa Gallis agmina : nuncium
Ferte hunc superbi fœderatis
Urbibus, ante oculos Namurcam

Perisse vestros. Ast ego, quem choros
Phœbus poëtarum inter amabiles
Primis receptum sponte ab annis,
Numinis interiore lapsu,

Suâque præsens mente animat, deo
Afflante plenus, per juga nobili
Calcata Flacco, perque saltus
Pierios animosus ibo :

Quin et, senectus immineat licet,
Crudis juventæ viribus integer,
Tentabo inaccessos profanis,
Altior invidiâ, recessus.

PARISINÆ URBIS LAUS,

Cùm ejus academiæ parisiensis nomine panegyricum Ludovico Magno *dicturus esset ejusdem academiæ rector.* 1696.

ODE.

PRIMÆVA regum filia, nobilis
Regina Pindi, mater et artium,
Virtutis incorrupta custos
Ac fidei, columenque veri:

Nunc, nunc sonores prome, academia,
Cantus: parentis festa agitur dies,
Tractare quâ cœpit potentis
Imperii Lodoix habenas.

Tu que ô, triumphi maxima pars, favens
Accede, princeps ac domina urbium,
Quâ, cuncta terrarum peragrans,
Sol reperit nihil orbe majus.

Regum superborum ut Lodoix suo
Fulgore laudes obruit, arduas
Sic inter urbes fronte celsâ
Altiûs urbs parisina surgit,

Famâque cunctis clarior eminet.
Regalis illam non tamen ædium
Splendor, triumphalesque portæ,
Non labor artificum peritus

Sic clarat, ut mens optima civium,
Tenax avitæ relligionis, et
Amica regnantûm, fidemque
Indocilis violare regni.

Quem nunc amori, quem posui modum?
Quæ non loquuntur compita principem?
Quis urbe totâ Ludovicum
Per memores titulos perenni

Saxo, aut loquaci marmore, non locus
Ostentat? Illum sistere civibus
Hâc arte præsentem, suorum
Ingeniosus amor laborat.

Hic prima vibrans fulmina fervidus
Bellator, omnem sub juga Flandriam
Mittit, rudimentisque belli
Talibus attonito futurum

Ostendit orbi jam dominum : hîc ruit
Centena versis oppida turribus,
Instarque torrentis Batavûm
Indomitas populatur urbes.

Indè æstuosis vorticibus ferox,
Et Cæsari vix antè domabilis
Rhenus, trementes sponte subdit
Imperio Lodoicis undas.

Hinc victa currunt flumina molliùs,
Sabisque, Scaldisque, et rapidus Mosa.
Illinc catenatos per hostes
Ira, pudor, rabiesque regnant.

Sic urbs futuris provida seculis
Monstrare pugnas usque superstites
Gestit : recentes nec triumphos
Immemor indecores relinquet.

At saxa, et aurum, et marmora proruit
Edax vetustas : vox academiæ
Transmittet ad seros nepotes
Principis interitura nunquàm

Trophæa magni. Cætera mobilis
Absumet ætas, et fuga temporum
Huic numen æternos honores,
Imperiumque dedit perenne.

Si nunc superbis illa opibus caret
Fastuque, nullas at fidei vices
Experta doctrinæque, priscos
Usque tenet studiosa mores.

Sol ipse, vastum lumine qui suo
Collustrat orbem, sub tenebris latet
Obscurus interdùm : sed atras
Seriùs ociùs ille nubes

Victor repellit. Tu, Lodoix, potes,
Non immerentem progeniem, pater,
Cùm pace terras mox beâris,
Vel placido recreare nutu.

IN TABULAM

Specimini pharmaceutico Stephani-Francisci Geoffroy *præfixam.* 1694.

Quam læta affulsit primis mortalibus ætas,
Corpore quùm sano mens quoque sana foret!
Tunc curis homines pariter morbisque carebant:
Urebat nullus membra animumve dolor.
Ast ubi Pandoræ fatalem Epimetheus urnam
Accepit, terris ingruit ira deûm:
Morborum genus omne, febres, pestisque, famesque
Cœpêre humanum dilacerare genus:
Mors quoque, lenta priùs, reseratâ pyxide fertur
Præcipitem subitò corripuisse gradum.
Aspice, ut erumpens tristi gravis halitus urnâ
Prata suo spoliat gramine, fronde nemus.
Aspice, lethali natura afflata veneno
Ut jacet, et superûm languida poscit opem!
Hanc blando recreans pavitantem lumine Phœbus,
Vulnera morborum sæva timere vetat.
Ludentes circùm genios dextrâ indice monstrat,
Ipse quibus medicæ credidit artis opus.
Vitales alter succos, herbasque salubres
Colligit, indè homini vita salusque venit.
Audax ille magis, Phœbo duce, viscera terræ
Intima rimatur, divitiasque maris:
Ille salutiferos angues quoque cogit in usus,
Et prodesse ægris ipsa venena docet.
Sic artis medicæ auxilio sibi redditus inter
Tot morbos sano corpore vivit homo.

VIGILANTISSIMO GYMNASIARCHÆ,

CAROLO GOBINET,

Cùm die S. Caroli festo Plessæi convictores accensis post cœnam toto collegio luminibus, studii in gymnasiarcham sui signa insolito lætitiæ genere prodidissent. 1687.

GRATULATIO.

O quàm disparibus lucent hæc atria flammis!
O quàm dissimili strepit area nostra tumultu!
Haud pridem violare domos flamma ausa superbas
Sollicitum totâ jam sparserat urbe pavorem;
Hausissetque, nisi trepidis excita repentè
Sedibus urbs, totis laxâsset fontibus undas,
Jussissetque suis servari civibus ædes,
Et Gobineti ingens monumentum stare Camœnis.
At nunc securis benè amicos ædibus ignes
Spargere amat, tectisque errans innoxia ludit.
Absenti, Gobinete, metum quæ fecerat olim,
Præsenti tibi jam cum fœnore gaudia reddit.
Tractari patiens demùm, atque oblita nocendi,
Imperio puerorum, in quaslibet ire figuras
Haud renuit. Summis nunc altè affixa fenestris
Ordine multiplici, ceu cœlo sidera, passim
Emicat, insolitoque domum fulgore coronat.
Nunc per humum mediâ jucunda incendia arenâ
Agglomerans, lætos plausus hilaresque choreas
Excitat, et domino quærit diversa placere,
Ac tua adulatrix vestigia lambere gaudet.
Hinc ignem, indè faces credas colludere secum
Certatim : adversæ fugit flamma æmula flammæ;
Alternusque modò igne venit, modò lumine fulgor,

Et pariter noctem invisam tenebrasque repellit.
Ingeniosa tuo sic flamma laborat honori,
Consciaque admissi sceleris, cùm principis ædes
Et sacra musarum voluit consumere templa;
Grande nefas eadem gestit, labemque piare,
Atque tuum obsequiis captat sibi mille favorem.
Jam scelere absolvi digna est veniamque meretur.
Flamma recens veteris delevit crimina flammæ.

EIDEM EPIGRAMMA. 1687.

Cur plessæa novis collucent undique flammis
Atria? cur mediâ lumina nocte micant?
Scilicet hæc nostro brevior lux fluxit amori.
Producenda fuit tam pretiosa dies.

ALIO MODO.

Occidere hunc solem citiùs plessæa juventus
Conqueritur, Caroli qui sibi festa refert.
Quid faciat? votis solem nequit illa morari.
Quid non possit amor, ingeniosus amor?
Producit lucem facibus vivisque lucernis,
Continuatque, ipso vel sine sole, diem.

AD JOSEPHUM DE JOUVENCY,

Rhetoricæ professorem in collegio Claromontano societatis Jesu, etc.

NAM quis ille novus, Juvence, nobis
Prodit tam similis tuî poëta,
Ut sis tam similis tuî nec ipse?
Quàm benè æmulus hîc refert magistrum!
Quàm benè ingenio puer sequaci
Se finxit docilis tuas ad artes!
Ut vestigia subsequi, comesque
Monstratum per iter vel ire tecum
Audax sustinet, et pari volatu
Tecum se quoque fert levem sub auras!
Ubertas eadem ingenîque vena:
Idem spiritus atque mentis ardor:
Carmen grande sonans, tamen modestum:
Verborum nitor elegans, stylusque
Simplex munditiis: nihil superbum,
Nil quod non sapiat manum magistram.
Quis sensus tibi, dic, precor, Juvence,
Cùm versus relegis tui poëtæ?
(Namque est ille puer tuus poëta.)
Laudas scilicet ordinemque, et artem,
Et vim carminis, elegantiasque:
Laudas: et tibi quam negas severus,
Non potes puero negare laudem.
Quin, modestia te licet pudorque,
Vestris ille quidem insolens poëtis,
Æstimare tuum aut amare quidquam
Durâ lege vetet, tamen, Juvence,
Hic te cogeris ipse amare in illo,
Hic te cogeris æstimare in illo,

Ut qui se in liquido fidelis undæ
Contemplans speculo videt decorum
Grato errore et amabili tenetur,
Suspectusque sibi vel ipse, veros
An vultus vaga reddat unda nescit,
An fallax oculos imago ludat :
Sic et tu, reor, ut vides poëtam
Tuî tam similem ac velut gemellum,
Hæres nescius ipse sis an alter.
Certè talis eras, juventa quondam,
Cùm te in carmina mitteret, novumque
Pulchro accenderet igne te poëtam :
Cùm (*a*) nostræ decus urbis invidendum,
Illustrem Cadomo tibique famam
Scriptis assereres, et ampliori
Dignum principis urbium theatro
Per certamina docta, per laborum,
Per laudis genus omne te probares.
Ut nunc hesperidum potens aquarum
Cedentes Padus arce melianâ
Verbis acribus increpat Sabaudos :
Sic olim Mosa, te canente, turpem
Imbellis Batavi fugam increpabat,
Paulò at garrulior loquaciorque.
O te amice, ter et quater beatum,
Annos qui jubeas redire lapsos,
Annos irreparabiles juventæ,
Et qui te videas senem renasci.
Quòd si ut carmine reddidit magistrum,
Sic et indole moribusque reddit;
Quàm dignus puer est coli atque amari!
Olli candida mens, aperta, simplex :
Non fastu malè turgida insolenti;
Mentiri indocilis : vel ipsum odorem
Aversata doli : nec erudita

(*a*) *Le poëte fait parler dans sa pièce un citoyen de Caen.*

Pravis artibus ambituve turpi,
Auram gloriolæ levem aucupari,
Aut fucum facere afteri impudenter,
Palàm et ludere vulgus imperitum.
O quàm vestra domos lubens alumnum
Talem allexerit! ut suos sodales
Hunc inter cupiat tenere! Jam nunc
Collegam tibi, qualis expeditus
Jamdudùm licet anxio labore,
Quæsitusque diù atque ubique, nondùm
In tanto potnît grege inveniri;
Collegam hnnc tibi destinat poëtam.
Tunc non stridulus obstrepet canoro
Olori malè junctus anser; aut se
Pica lusciniæ loquax canenti
Adjuuget comitem: sed ambo olores,
Ambo lusciniæ, melos suave
Jam miscebitis, et suave carmen
Pari gutture consonoque, vocum
Ut discrimina nulla sentiantur.
O te, amice, ter et quater beatum
Qui cura vigili et labore fausto
Fingis tam similes tuî poëtas,
Ut sis tam similes tuî nec ipse!

SANTOLIUS POENITENS.

Rumpite perjurum, suspiria, rumpite pectus:
Vosque, ô perpetuis, heu! mox damnanda tenebris
Lumina, sanguineos lacrymarum effundite rivos.
Deleri haud alio possunt scelera impia fletu.

Quò me præcipitem furor inconsultus adegit?
Arnaldi tumulo inscriptos defendere versus
Erubui, quos relligio mihi sancta, fidesque,
Et pietas, et amor veri dictârat! inani
Hos ego sacrilegus vates formidine victus,
Ejuravi amens infando carmine! Non me
Conscia mens falsi, non inviolabile sacræ
Numen amicitiæ, et capitis reverentia cari,
Non potuit me fâma, pudor-ve inhibere furentem!
Et spiro sceleratus adhuc! Non terra dehiscit
Sub pedibus! sævo nec fulminis igne peremptum
Tartareas adigit scelerum Deus ultor ad umbras!

Quanquàm, heu! supplicium vel funere tristius ipso est,
Quæ nunc sollicitos inter mihi vita pavores
Ducitur. Æger, inops mentis, meque ipse tenere
Impatiens, furiis animum stimulatus acerbis,
Errabunda fero huc illuc vestigia, diris
Distorquens rabida ora modis; tamen usque fugacem
Persequitur scelus, et misero otia nulla relinquit.

Insuper, ipsa mihi noctuque diuque recursans
Exsomnem, pavidum Arnaldi me terret imago.
Non ille horrifico squalens apparet amictu,
(Qualia post mortem dicunt simulacra videri)
Ora sepulcrali fœdatus pulvere, et ater

Assurgens : sed qualis erat, cùm spiritus artus
Intùs agens regeret, vultuque habituque modesto
Lenis, adhuc retinens antiquum frontis honorem.
Canities veneranda seni, breve corpus, at ingens
Majestas, placido fulgentes lumine vibrans
Leniter in me oculos, scelus exprobare videtur :
« Tu quoque Santoli, de te nil tale merentem,
« Tu-ne etiam infidus post funera prodis amicum?
Hæc ille. At blandæ voces, et mitia linguæ
Verbera crudeli lacerant mihi vulnere pectus.

Sancte senex, pleno qui nunc de flumine verum
Illud idem, quod sic terris peregrinus amâsti,
Ore avido bibis, atque odiorum oblivia potas :
Sancte senex, nostrum, precor, obliviscere crimen,
Jamque recantato fias mihi carmine amicus.
Ecce pedes reus ante tuos sto supplice vultu,
Funereum collo funem, dextrâque tremente
Ardentem gestans, probrosa insignia, tædam.
Invito nuper calamo quos scribere mendax
Sustinui vates, ipso vel sanguine versus
Eluere en cupio. Vanis terroribus illos
Atque malâ fraude extorsit crudelis amicus.

Quem non ille dolis etenim potuisset eisdem
Induere in laqueos, cùm formidabile Magni
Objiceret nomen Lodoici? Non ego dura
Exilia, aut tristes obscuri carceris umbras,
Sævam aut pauperiem, mihi quæ, si vestra recusem
Jussa, minax tacito portendit epistola nutu;
Regalem at timui, quamvis innoxius, iram.
Namque, fatebor enim, si credam hæc paucula regi
Carmina displicuisse, loquacibus ista poëtis
Sit quanquam aspera lex, æterna silentia jurem,
Contentus tacitos virtuti exsolvere honores.

Sed quid ego hæc autem? Stultâ formidine ludor
Credulus. Arnaldum laudari carmine nostro

Scilicet invideat Lodoix? Ea cura quietum
Sollicitet? Belli molem hanc dùm sustinet unus,
Dùm conjuratas meditatur frangere vires
Europæ, regum et violati numinis ultor,
Grandiaque invicto secum sub pectore volvit,
Santolii nugas audit, vel curat, et istis
Lusibus augustum velit interponere nomen?

Ergo-ne privatas sacri sub nominis umbrâ,
Placari indociles, usque exercebitis iras?
Nunquàm ne Arnaldum contra erudelia bella
Cessabunt? Rabies nunquàm exsaturata quiescet?
Non satis exilii duros tolerâsse labores,
Obscuris malètntum in sedibus, omnium egentem,
Et dulcem patriam, et caros liquisse penates,
Blandaque amicorum consortia? Frigida numquid
Ossa viri cineresque juvat violare sepultos?
Occiderit procul hinc: tellus aliena sepulcrum
Possideat: manes nunc saltem impunè quiescant.
Te pacem, Lodoice, istam quoque Gallia poscit.

EPIGRAMMATA.

Erudito et eleganti viro amico suo natali Bosquillon, *cùm ab eo mortis imaginem in xenia accepisset.* 1693.

Ante oculos semper teque et tua munera habebo,
Nil dare tu meliùs, nil Deus ipse potest.
O utinam mihi sic mors vera arrideat olim,
Ut nunc missa à te mortis imago placet!

Docto et eleganti viro N. Bosquillon, *cùm ei cereos funes in xenia mitteret.* 1694.

Mores cera tuos niveo candore, Menalca,
Exprimit: accende hanc, exprimet ingenium.

Clarissimo viro N. Bosquillon, *cùm, post acceptum ab eo Decalogum, christianas ei preces in xenia mitteret.* 1695.

Tu mihi divinam misisti in munera legem:
Ast ego mitto tibi, dulcis amice, preces.
Quid lex nempè juvet precibus sine? Numine fretus
Possum cuncta, meis viribus ipse nihil.

Ad venustulum et elegantulum et peramabilem PELTERIOLUM, *cùm ei, tanquam futuro quondam senatûs principi, cereum mitteret.* 1695.

INCIPE, parve puer, dono cognoscere matrem,
Venturique istud pignus honoris habe.
Talia supremi queis sedes prima senatûs
Contigerit, soleo munera ferre viris.
Te manet hæc sedes: summum Themis ipsa tribunal
(Vera cano) patri destinat, indè tibi.
Cura sit intereà ludo tibi fingere corpus:
Mox animum pulchris artibus ipsa colam.

Clarissimo et amantissimo amico N. BOSQUILLON, *cùm ei novum Testamentum in xenia mitteret.* 1697.

VOTA tui pro te si vis agnoscere amici,
Divinum hunc aperi, quem tibi mitto, librum.
Non hic delicias, nec opes famamve; perennis
Vitæ at promittit tempora, datque liber.

Clarissimo viro N. BOSQUILLON, *cùm ipsi in xenia mitteret libellum de christianæ mortis felicitate.* 1697.

QUÆ tibi præripuit caram mors dura sororem,
Ecce venit lacrymas tergere, amice, tuas.
Quam pius amissam pergis lugere, beatam
Vivere nunc parvus te docet iste liber.

Doctissimo viro N. Bosquillon, *cùm ei cultellum in xenia mitteret.* 1698.

Ætna hæc, non Pindus tibi mittit munera : morem
Cyclopes musis præripuêre suum.
Translatum ætnæis me Pindi in culmina ab antris,
Hic te, si nescis, culter, amice, docet.

Erudito vero N. Bosquillon, *cùm ei in xenia mitteret pias Animadversiones R. P. Q. in vitam sancti Augustini.* 1699.

Gymnasiarcha solet pueris donare libellos.
Virtutis quæ sint præmia et ingenii.
Sint tibi doctrinâ simul et pietate magistro
Primitiæ nostri muneris iste liber.
Quî pergas sapiensque, piusque et doctus haberi,
Hoc Augustinus te docet ipse libro.
Discipulum talis nisi te pudet esse magistri,
Accipias parvum hoc munus, amice, libens.

Clarissimo viro N. Bosquillon, *cùm ei sculptas aliquot illustrium virorum imagines in xenia mitteret.* 1700.

Sculptæ nobilium tabulæ, quas mitto, virorum,
Transeat ut mundi vana figura docent.
Quid jam sunt vel erunt hæc grandia nomina? pulvis
Unum, si sapimus, fas coluisse Deum.

De la fontaine de Fleuri, terre de M. D'ARGOUGES.

DIVES aquæ, mox pauper, aquis hinc rursùs abundans,
Sperare adversis didici, metuisse secundis;
Atque aliam cuncta undè fluunt agnoscere fontem.

Inscription de la fontaine de Coulange-la-Vineuse, attribuée à M. ROLLIN.

HIC Bacchum et lymphas conjunxit fœdere certo
Connubialis amor. Tu semper utrumque marita.

In effigiem D. DUGUET.

GRANDE olli ingenium, vis fandi blanda, profundum
Doctrinæ flumen, mens pietate flagrans.
Lux fuit ille, sui tenebris licet abditus ævi:
Anxia consiliis corda levare potens.
Altos Scripturæ solers devolvere sensus;
Christum apprimè sciens, divitiasque crucis.
Quid non pro vero ad summam tulit usque senectam?
Esto robur ei, perfugiumque, Deus.

EPITAPHIA.

ÉPITAPHE DE M. DE SANTEUL.

Quem superi præconem, habuit quem sancta poëtam
Relligio, latet hoc marmore Santolius.
Ille etiam heroas, fontesque, et flumina, et hortos
Dixerat : at cineres quid juvat iste labor?
Fama hominum, merces sit versibus æqua profanis :
Mercedem poscunt carmina sacra Deum.

ÉPITAPHE DE M. CLAUDE LE PELLETIER.

D. O. M.
HIC JACET
Claud. le Pelletier
Regni administer,
vir clarus gestis honoribus;
clarior spretis et relictis.
In quartâ inquisitionum classe senator
Primum, deinde præses, complures
annos jus sanctè dixit.
Præfectus urbi, præclaris operibus
Lutetiam auxit et ornavit.
Factus indè consistorianus comes, ad
restituenda jurisprudentiæ studia
operam et auctoritatem feliciter contulit.

Mox ad ærarii regnique administrationem
vocatus,
et titulo præsidiis infulati auctus,
inter summas dignitates veterem modestiam,
inter lucri contagia nobilem pecuniæ
abstinentiam retinuit.
Adhuc integer animo, florensque gratiâ, sed
meliora meditans, ærarii curam
lubentiùs abjecit quàm susceperat.
Tandem aulâ sponte ac cupidè cessit, ut Deo
ac sibi liberiùs vacaret.
Otium dulce nec inglorium inter selectos
amicos in sacrarum litterarum meditatione
ac pietatis officiis consumpsit.
Patriæ tamen et principis semper memor,
utrique ad exitum percarus,
viribus paulatim deficientibus,
octogenario major obiit,
an. M. DCCXI die decimâ augusti.
Lud. Le Pelletier filius, senatûs princeps,
cæterique superstites liberi,
optimo parenti mœrentes
posuêre.

ÉPITAPHE DE L'ABBÉ DU PIN,

Hic jacet
Ludovicus Ellies du Pin,
sacræ theologiæ parisiensis doctor.
Veritatis cultor et indigator non otiosus,
vetera Ecclesiæ monumenta
indefesso labore illustravit,
regni jura
et Ecclesiæ gallicanæ libertates
acriter non minùs quàm erudite propugnavit.
Immensæ in omni genere lectionis et doctrinæ
laude conspicuus;
idemque animo miti ac modesto,
nihil, in omni vitâ, visus est oblivisci,
præter injurias.
Ecclesiæ munitus sacramentis
obiit sexto junii, anno R. S. H.
M. DCC. XIX, ætatis verò LXII.

FIN DES OPUSCULES.

TABLE

DES PIÈCES CONTENUES DANS CE VOLUME.

ORATIONES.

Oratio habita in regio Franciæ collegio, cùm ad eloquentiæ cathedram promoveretur, anno 1688, Pag. 3

Gratulatio ad serenissimum Delphinum, 5 decemb. 1688, 23

Oratio altera in laudem Ludovici magni, habita die 21 maii 1695, 48

Oratio altera in laudem Ludovici magni, habita die 4 maii 1696, 68

Oratio de Philippi quinti in regem Hispanorum adoptione, habita die 14 febr. 1701, 84

Orationes super gratuità juventutis institutione, fundatâ à rege christianissimo Ludovico XV, habita die 19 decembr. 1719, 107

Oratio in instauratione scholarum collegii Sorbonæ-Plessæi, habita anno 1684, 133

ORATIUNCULÆ.

Oratiuncula habita in instauratione scholarum, 145

Oratiuncula habita ad honorandam gallorum nationem, cùm nominandus esset ab eâ pastor parochiæ SS. Cosmæ et Damiani, 150

Prima supplicatio apud Sorbonam, 16 decembr. 1694, 154

Secunda supplicatio ad ædem Deo sacram sub invocatione sancti Joannis, vulgò in gravià, 18 martis 1695, 159
Tertia supplicatio apud Benedictinos sancti Germani in pratis, 18 jun. 1695, 161
Quarta supplicatio ad victorinam ædem. 5 oct. 1695, 165
Supplicatio habita apud Bernardinos, die 20 jun. 1696, 168
Supplicatio ad **, 171
In comitiis rectoriis, die 16 decembr. anno 1695, 173
Comitiis rectoriis, 23 jun. 1696, 177
Ad primam confirmationem, 16 dec. 1694, 179
Ad secundam confirmationem, 24 martis 1695, 184
Ad tertiam confirmationem, 23 jun. 1693, 166
Ad claudendum rectoriæ dignitatis annum, 10 octobr. 188
In comitiis censoriis apud Mathurinenses, die 27 octobr. 1695, 193
Oratio habita apud Mathurinenses, die 11 decembr. ann. 1720, antequàm universitas supplicatum iret ad ædem sorbonicam, 201

MANDATA.

Mandatum pro collegiorum lustratione, 206
Mandatum ad disciplinam academiæ pertinens, 208
Mandatum ad consecranda studia sacræ Scripturæ recitatione, 211

GRATULATIONES.

Gratulatio illust. archiepisc. paris. de Harlay, die 26 novembr. 1695, 213
Gratulatio ad ***, 215
Gratulationes habitæ dùm C. Rollin res honorandæ Gallorum nationis procuraret. Anno 1717, 217
D. Vittement rectori amplissimo, 222
Oratiuncula ex personâ domini *** ad senatoriam dignitatem evecti, 226

CARMINA.

Illustrissimo D. D. Claudio Le Pelletier, regii ærarii præfecto, et regni administro, cùm ejus nobilissimi filii Carolus Mauritius et Claudius Le Pelletier theses philosophicas in Sorbonæ-Plessæo propugnarent. Ode. an. 1684, 228

Illustrissimo regis advocato generali in supremâ curiâ Claudio d'Argouges de Fleury, cùm ei apud Floriacum commoranti illustrissimus avus, regni administer Claudius Le Pelletier è suâ Villâ-Novâ persica mitteret, 231

Illustrissimo abbati Camillo de Louvois, bibliothecæ regiæ præposito, cùm de Homeri Iliade et Odysseâ in bibliothecâ regiâ responderet. Carmen. An. 1688, 233

Ad illustrissimum virum Franciscum Michaelem Letelletier, marchionem de Louvois, regni administrum, etc. cùm ejus filius Camillus de Louvois, abbas, bibliothecæ regiæ præpositus, de Theocrito publicè responderet. Carmen. Anno 1689, 234

In obitum clarissimi viri Caroli Gobinet, è societate sorbonicâ doctoris, et collegii Sorbonæ-Plessæi moderatoris. Epicedium. An. 1691, 238

Illustrissimo abbati Camillo Letellier de Louvois, regiæ bibliothecæ præposito, in tabulam ab eo regi dicatam, cùm theses philosophicas in collegio Mazarineo tueretur. Carmen. Anno 1692, 243

Ode in expugnationem Namurcæ, ex gallicâ ode Nicolaï Boileau Despréaux in latinam conversa. Doctissimo et clarissimo viro Nicolao Boileau Despréaux. Hendecasyllabi, 249

Ode in expugnationem Namurcæ. Anno 1693. 251

Parisinæ urbis laus, cùm ejus et academiæ parisiensis nomine panegyricum Ludovico Magno dicturus esset ejusdem academiæ rector. Ode. Ann. 1696, 257

In tabulam specimini pharmaceutico Stephani-Francisci Geoffroy præfixam. 1694, 260
Vigilantissimo gymnasiarchæ Carolo Gobinet, cùm die S. Caroli festo Plessæi convictores accensis post cœnam toto collegio luminibus, studii in gymnasiarcham sui signa insolito lætitiæ genere prodidissent. Gratulatio. 1687, 261
Ad Josephum de Jouvency, rhetoricæ professorem in collegio claromontano societatis Jesu, etc. 263
Santolius pœnitens, 266

EPIGRAMMATA.

Erudito et eleganti viro amico suo natali Bosquillon, cùm ab eo mortis imaginem in xenia accepisset, 1693, 269
Docto et eleganti viro N. Bosquillon, cùm ei cereos funes in xenia mitteret. *ibid.*
Clarissimo viro N. Bosquillon, cùm post acceptum ab eo Decalogum christianas ei preces mitteret. 1695, *ibid.*
Ad venustulum et elegantulum et peramabilem Pelteriolum, cùm ei tanquàm futuro quondam senatûs principi cereum mitteret. 1695, 270
Clarissimo et amantissimo amico N. Bosquillon, cùm ei novum Testamentum in xeniâ mitteret. 1696, *ibid.*
Clarissimo viro N. Bosquillon, cùm ipsi in xenia mitteret libellum de christianæ mortis felicitate. 1697, *ibid.*
Doctissimo viro N. Bosquillon, cùm ei cultellum in xenia mitteret. 1698, 271
Erudito viro N. Bosquillon, cùm ei in xenia mitteret pias animadversiones R. P. Q. in vitam sancti Augustini. 1699, *ibid.*
Clarissimo viro N. Bosquillon, cùm ei sculptas aliquot illustrium virorum imagines in xenia mitteret. 1700, *ibid.*
Inscription de la fontaine de Fleuri, terre de M. d'Argouges, 272

Inscription de la fontaine de Coulange-la-Vineuse, attribuée à M. Rollin, 272
In effigiem D. Duguet, *ibid.*

EPITAPHIA.

Épitaphe de M. de Santeul, 273
Épitaphe de M. Cl. Le Pelletier, *ibid.*
Épitaphe de l'abbé du Pin, 275

FIN.

La Bibliothèque
Université d'Ottawa

Echéance

Celui qui rapporte un volume après la dernière date timbrée ci-dessous devra payer une amende de cinq sous, plus un sou pour chaque jour de retard.

The Library
University of Ottawa

Date due

For failure to return a book on or before the last date stamped below there will be a fine of five cents, and an extra charge of one cent for each additional day.

OCT 14 1960
28 OCT 1960

AUG 08 1997

AOU 21 1997

CE

a39003 001856649b

LB 475 .R6T7 1820 V4
ROLLIN, CHARLES.
TRAITE DES ETUDES.

CE LB 0475
.R6T7 1820 V004
COO ROLLIN, CHAR TRAITE DES E
ACC# 1162926

U D' / OF OTTAWA
COLL ROW MODULE SHELF BOX POS C
333 01 07 09 13 26 7